

Alte Drucke

Daudivis Chytræi In Historiam Iosvæ, Ivdicvm, Rvth, in Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ

Chyträus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

Daudivis Chythraei IN PSALMVM CIII. Benedic anima mea DOMINO.
EXPLICATIO.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122

Davidis Chytræi
IN PSALMVM
CIII.

Benedic anima mea DOMINO.

EXPLICATIO.

REVERENDO ET OPTIMO
VIRO, D. HENRICO GEBHARDS, PASTO-
RI IN HOHENVESTED, AMICO
suo carissimo S. D.



UM animos nostros, communi spiritu Christi, eiusdemq; de DEO fidei ac confessionis societate, qui nexus sunt amicitia Christiana firmissimi, iamdudum deuinctos inter se & copulatos, in DEO unum esse sciam: planè confido, nos semina illius, in aeternam DEI & ecclesie cælestis consuetudinem paulo post allaturos esse. ubi carmen Eucharisticum, & Doxologiam Psalmi, Benedic anima mea Domino, coniunctis animis, & vocibus sonoris, ardenti pectore una canemus; & DEVM, qui erit finis desideriorum nostrorum, sine fine videbimus, sine fastidio amabimus, sine fatigatione laudabimus. Cum autem initia actionum vite aeternæ in his terris accendi oporteat: inter alios, iuventuti scholasticae, huius quoque Psalmi Eucharistici explicati-
onem, libera voce tradidi. Quam inter prælegendum, ab auditore quodam ob-
ter exceptam, & typis tamen nudius & concisus descriptam, ad te potissimum
mitto: ut memoriam benignitatis erga me tuae, & officiorum hospitalium, quæ bis
hac transeunti, liberaliter tribuisti, me grato animo conseruare & prædicare in-
telligas. Benè & feliciter aeternum vale. Die Seruatij, episcopi Tungrorum.

Anno 1590.

Dauid Chytræus.

ARGV-



SALMVS CIII. EST GRATIARVM ACTIO, pro immensa bonitate & misericordia Dei, in Christo promissa: omnibusque beneficijs, spiritualibus & corporalibus, æternæ & præsentis vitæ seruientibus, quæ quotidie in nos larga manu cumulata effundit.

Pertinet igitur ad genus causarum demonstratiuum, quod docet, gratiarum actionis duas esse partes. Prior est laudatio virtutum benefactoris & amplificatio accepti beneficij: Posterior, promissio compensationis seu memoris & gratæ mentis ac celebrationis.

Totus autem Psalmus XXII. versibus constat, ex quibus

Duo primi continent propositionem: (vt omnibus sapientibus poetis & alijs, à re ipsa exordiri vsitatum est) Gratiarum ago Domino, seu laudo Dominum: illustratam & ornatam Schematis *διαιτίας*, Apostropha, & *πρὸς ἑαυτήν*, adhortatione ad propriam animam, seu aliam personam, conuersa: & Schematis *λέξεως*, Anaphora seu repetitione eorundem verborum, acius & vehementius animis infigente adhortationem: item expolitione mutatis verbis eandem sententiam κατ' ἀφαιρέσιν τῆ ἐναντίας exprimente: Noli obliuisci omnium beneficiorum eius, *παλαιὰ ἧ εὐδοκίας χάρις ἀμνάμονος ἡ βερεία*. Cui dolet, meminit: cui placet, obliuiscitur.

Tertio versu, inchoat laudationem seu amplificationem beneficiorum, pro quibus gratias agere instituit. & κατὰ μερισμὸν, distributionem totius in partes, ordine nouem beneficia Dei præcipua, sequentibus quinque versibus enumerat.

VIII. Causam efficientem impulsuam seu fontem beneficiorum omnium perennem & augustum, videlicet misericordiam Dei immensam, celebrare incipit, eamque synonymia quatuor fere idem significantium verborum expolit.

IX. & X. ex loco contrariorum, seu κατ' ἀφαιρέσιν τῆ ἐναντίας, Misericordiam Dei gratis remittentem peccata, & nobis etiam indignis bona sua cumulata largientem, definit.

XI. XII. & XIII. Ex loco comparatorum, tribus pulcherrimis similitudinibus, à distantia cœli & terræ, ortus & occasus, & *σεργαῖς φουκαῖς* parentum erga liberos, eandem illustrat & exornat.

XIII. XV. XVI. Materiam circa quam, seu obiectum, in quo Deus misericordiam suam exercet, videlicet HOMINEM miserum, fragilem, & morti singulis momentis obnoxium, itidem tribus similitudinibus, pulueris, fœni, & floris à vento dissipati, depingit.

XVII. & XVIII. Ex loco adiunctorum, seu tempore & obiecto, in quod latissime spargitur misericordia Dei æterna, & ad omnem posteritatem piorum manans, breui & fugacissimæ hominis vitæ opposita, exaggeratur.

XIX. Ex causæ efficientis seu CHRISTI Domini fontis ac regis misericordiæ & regni gratiæ illius amplitudine & maiestate, magnitudinem beneficiorum illius, & officia subiectionis obedientiæ & gratitudinis ipsi vicissim debita, demonstrat.

Tres postremi versus, Epilogum ac perorationem continent, qua etiam

ANGE-

ANGELOS in cœlo & terris deo seruientes, & omnes creaturas, ad societatem gratiarumactionis & laudum Dei inuitat, & propositione Psalmi, iisdem verbis, quibus in exordio eam præmiserat, repetita, concludit.

Hæc puerilis parrium Psalmi, ad locos dialecticos, qui omnis eruditæ inuentionis ac explicationis, & amplificationum ac ornamentorum fontes sunt, accomodatio; non temerè & casu fortuito effusa esse hæc eruditissima & dulcissima Psalmorum poemata: sed singulari industria, & arte, ac solertia miranda, non minus quàm Horatii odas, vel Ouidij elegias, elaborata & expolita esse demonstrat.

LOCI DOCTRINAE

PRÆCIPVI.

- I. DE GRATIARUM ACTIONE & laudibus Deo debitis.
- II. Pars definitionis seu veræ agnitionis DEI præcipua, quod sit essentia æterna, bona, MISERICORS, quæ proprietas Dei, fundamentum est iustificationis & salutis nostræ, & vniuersæ consolationis Christianæ.
- III. Summa doctrinæ euangelij, de remissione peccatorum ac misericordia propter filium mediatorem, credenti donanda, seu, de iustificatione hominis coram Deo.
- III. De infirmitatibus seu reliquijs peccatorum adhuc in iustificato residuis, quas spiritu suo sancto, in officina sanctæ crucis, Deus misericorditer curat, & sanat, donec tandem expurgato per mortem & ablato penitus peccato, æternam iusticiam & vitam omnis peccati & labis expertem instauret.
- V. De beneficio patefactionis Dei, per VERBVM legis & promissionis, Moyfi & patribus traditum.
- VI. De STORGIS parentum erga liberos, quas ideò condidit Deus in natura, vt essent commonefactiones de immenso Dei erga filium suum vnigenitum & nos amore paterno, quos propter filium complectitur.
- VII. HOMINIS naturæ miserrimæ & fragilimæ, & singulis momentis morti obnoxia, descriptio.
- VIII. Quid sit custodire testamentum Dei.
- IX. De regno CHRISTI regis gratiæ & misericordiæ, in omnes gentes propagato.
- X. De ANGELIS.

Cum autem primus & principalis Psalmi BENEDIC ANIMA mea Domino, locus, & propositio ac summa sit, gratiarumactio pro immensa bonitate & misericordia DEI, qua non solum in gratiam nos propter Christum recipit, & æterna salute donat: verum etiam omnibus vitæ huius mortalibus bonis largissimè obruit: præfabor quædam de gratiarumactione, vt argumentum & finis Psalmi rectius intelligatur, & nostræ mentes ad ardentiorē gratiarumactionem & huius Psalmi recitationem exulcentur. Ideo enim conditi sumus homines à Deo, & per filium redempti, eamque ob causam spiritu diuino sanctificamur, vt Deum conditorem & redemptorem nostrum Iesum Christum rectè agnoscamus, inuocemus, & grati celebremus. Quare præcipuus & summus cultus Dei, immediate seruienti finis hominis, est agnitio & celebratio DEI, suam bonitatem & beneficia nobis impertientis. Nec aliud Deus, pro immensis beneficijs, quæ in nos

quotidiè cumulatè effundit, à nobis flagitat, nisi agnitionem, gratiarum actionem, & celebrationem sui, ut scriptum est Psal. 116. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ tribuit mihi? Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo.

Est autem sacrificare Deo hostiam laudis, seu gratias agere Deo, & Deum laudare, primum mente grata agnoscere, deinde ore & voce profiteri, Deum non esse inane nomen, sed verè esse, & quidem paternam nostri curam habere, & nobis præsentem esse custodem & opitulatorem beneficium, misericordem, iustum, & omnipotentem, qui nos inuocantes audiat & exaudiat, nec casu vel causis secundis, sed verè ab ipso Deo preces nostras exaudiente pericula depelli, & bona omnia nobis tribui. Ideoque vicissim nos ei subijcere & vero corde ac omnibus vitæ officiis obedire, & hæc beneficia Dei clara voce & hymnis ac laudibus pijs celebrare, ut & Deus gloria & honore debito afficiatur, & alij homines nostra gratiarum actione ad veram agnitionem & inuocationem Dei, & petenda ac expectanda ab eo bona inuidentur.

Hæc est vera Theologia & religio Christiana, non curiosè & argutè de articulis fidei disputare, sed Deum rectè ex verbo eius agnoscere, & filium Mediatorem verè timere, diligere, inuocare, Deo confidere, gratias agere & obedire. Hæc qui præstat, veram Theologiam Christianam colit.

Præcipue verò gratiarum actionem flagitat à nobis Deus, non solum tantum honoris & celebrationis, sed nostræ inprimis utilitatis causa, ut *FIDEM*, seu agnitionem præsentis & auxilij ac gubernationis diuinæ, & omnium beneficiorum diuinorum, retineamus. Cum enim homines non recogitant, considerant & commemorant bona, quibus Dei benignitate quotidie fruuntur, nec profitentur diuinitus se adiutos & liberatos esse; sed in rebus secundis obliuiscuntur Dei, ut omnes facimus, & indulgent prophana securitati: tum amittunt agnitionem præsentis Dei ac fidem, & à Deo auulsi & deserti ruunt in æternum exitium. Ideo gratiarum actio continuè Deo præstanda est, ut assidua commemoratio & professio beneficiorum diuinorum, alat & confirmet in nobis fidem agnoscentem verè esse Deum, & curare, defendere, iuuare inuocantes, & bona animæ & corpori salutaria, præsentia ac æterna nobis larga manu tribuere.

Nec oscitanter & implicitè tantum gratiæ agendæ sunt, sicut Canonicus ille quotidie dormiens ad horam decimam & statim assidens mensæ, gloriabatur se horas Canonicas quotidie legere. Quia inquit surgens recito Alphabetum, & dico Deo, ut coniungat sibi inde literas, ut fiant horæ canonicæ. Nec ut ille apud Platonem oremus: *Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλά, καὶ δόξαμένα καὶ ἀνδύκτα ἡμῖν δίδε, τὰ δὲ δεινὰ, καὶ δόχονα ἀπαλλάττει.*

Sed ordine commemoremus beneficia diuina, & tanquam in tabella nobis proponamus, & attentè ea consideremus, ut Deum autorem eorum esse cogitemus, & aliquem grati pectoris motum in nobis exuscitemus, ut hic Psalmus ordine decem beneficia enumerat.

Sic à nobis ordine distribuuntur & commemorentur, primum spiritalia & æterna bona: creatio ad imaginem Dei, patefactio verbi, doctrina legis & euangelij, missio filij redemptoris pro nobis passi, mortui, resuscitati, ministerium euangelij & Sacramentorum, remissio peccatorum, iusticia, noua vita, salus æterna. Inde corporalia, *VITA* corporis, *MENS* sana in corpore sano, vigor ingenij & sensuum, incolumes oculi, manus, pedes, ci-

des, cibus & potus. Pax optima rerum, qua carent in Belgico, Gallia: liberationes ex periculis vitæ, morbis, carceribus, exilijs. Item omnia opera creationis, Sol, Luna, Terra, Aqua, herbæ in chirurgia, pharmacis, Metalla. Gratiæ priuatiuæ.

Hæc omnia bona non casu nobis contingere, sed à Deo omnipotente, benefico & misericorde nobis tribui certò statuamus, & horum beneficio- rum commemoratione & consideratione, nos ad veram & ardentem grati- tudinem, Deo, voce & veris officijs seu totius vitæ obedientia, præstan- dam, excitemus.

Ideò enim Deus gratitudinem erga parentes, præceptores, magistra- tus & alios benemeritos, in hac vita sanxit, vt de gratitudine D E O, fonti omnium bonorum, primò debita, admoneremur.

Cum autem homines natura superbi, mendaces & mali sint: pleri- que etiam ingrati sunt. Vt enim gratitudo duas virtutes complectitur, ve- ritatem confitentem se ab alio beneficia accepisse, & iustitiam reddentem *ἀντίδοξα*: Sic ingrati primùm mendaces sunt, superbi & iniusti. ac ingrati- tudinis erga Deum & homines exemplis tota mundi historia, & commu- nis hominum vita plena est. Omnia sunt ingrata: nihil, fecisse benigne, est. *πάλαι εὐδοί χάρις, ἀμνάμονες ἢ βροτοί*. Ideò hic hortatur Psalmus: Noli obliuisci omnium retributionum seu beneficiorum eius. Nec tantùm obli- uiscuntur plerique ingrati, sed etiam oderunt benefactorem, & vbiq; possunt, lædere & deformare conantur, *πρὶν τι λαβῆναι τίθειν, ἀτὰρ φυγέσσι λα- βόντες*. Wer einen vom galgen erlöset / der hilfft im wieder dran. Cicero caput præcidit Popilius Centurio, quem antea in capitis iudicio Cicero seruauerat. Iulium Cæsarem interficiunt Brutus & Cassius, quibus vitam donauerat. Me nescruasse vt essent, qui me perderent. *θρέψαι καὶ λυχι- δῆς θρέψαι κύνες, ὡς τὸ φάγωσι*. & serpens rustico gratiam refert quantam maximam mundus pro summo beneficio reddere solet, cum eum deuorare instituit. vt MILES INGRATVS apud Senecam. Talis est hominum gratitudo. Et tamen vltatius est hominibus gratias agere quàm D E O, de quo paucissimi cogitant. Hanc impietatem emendemus, & vna cum Dau- de; BENEDIC ANIMA MEA, quotidie ardenti pectore & pia voce recinamus.

Est autem BENEDICERE DOMINO, bona de Deo dicere, seu LAUDARE & gratias agere Domino, videlicet ex animo sentire ac cor- de credere, & ore ac voce externa profiteri & prædicare, D E V M non es- se inane nomen, sed verè esse Dominum æternum ac omnipotentem, con- ditorem cœli & terræ, ac generis humani, patefactum in ecclesia certo verbo, bonum, veracem, iustum, sapientem, beneficum, misericordem, qui paterno amore & cura nos complectatur, recipiat, iuuat, inuocantes exau- diat, ex periculis liberet, & omnia bona huic vitæ necessaria tribuat, & tan- dem æterna salute ac gloria donet, propter Christum mediatorem: Et præ- lucente hac agnitione & fide, ex animo & toto pectore se Deo subijcere ac obedire, & hæc bona seu virtutes ac beneficia Dei, inprimis verò bonita- tem & misericordiam erga nos immensam, tum alijs erga nos beneficijs in- numerabilibus, tum inprimis vnigenito filio suo, nostræ redemptionis ac salutis causa homine ac victima factò, declaratam, voce & carminibus pijs ac totius vitæ obedientia & conformitate cum Deo celebrare, propter hunc finem, vt D E V s conditor & seruator noster agnoscat & celebre-

Chyfr

tur: & nostra voce ac prædicatione bonitatis diuinæ, alios etiam homines, ad veri Dei & bonitatis diuinæ agnitionem inuitemus, vt illi etiam res humanas Deo curæ esse, non casu vel causis secundis, sed ab ipso Deo preces nostras exaudiente, pericula depelli & omnia bona tribui statuant. deinde vt assidua commemoratione & prædicatione bonitatis, & beneficiorum, ac liberationum diuinarum, alamus, conseruemus & augeamus in nobis & alijs *FIDEM*, agnoscentem verè esse Deum, & nos curare, defendere, iuuare inuocantes, & opem ac salutem ferre, vt in tali agnitione & fide perseueremus, & Deus non desinat se & omnia sua bona nobis communicare. Propter hos fines, mandatis Dei grauissimis, quæ præcipuum hunc & Deo gratissimum agnitionis ac celebrationis bonitatis ac misericordiæ diuinæ cultum, & sacrificia laudis ac prædicationis beneficiorum diuinorum gratæ ac memoris, potissimum flagitant, reuerenter ac studiosè pareamus: & vna cum Dauide, animos & corda nostra, ad benedicendum Domino, & misericordiam ac beneficia diuina hymnis & carminibus pijs, à Spiritu sancto nobis in Psalterio præscriptis celebranda, exuscitemus. Tres autem præcipuæ in sacris literis verbi Benedicere significationes sunt.

BENEDICERE DOMINO est bona de Deo dicere, seu *LAUDARE* & celebrare Deum, & gratias agere: Psal. 34. Benedicam Dominum omni tempore .i. laudabo Dominum, seu bona de Deo dicam, quod sit bonus, iustus, misericors, beneficus, omni tempore, secundo & aduerso. Sine intermissione enim Deo gratiæ agenda sunt (inquit August. in Psal. 70.) in prosperis, quia consolatur; in aduersis, quia corrigit. antequam essemus, quia condidit nos: cum essemus, quia salutem dedit. cum peccassetus, quia ignouit; cum conuersi essemus, qui adiuuit; cum perseuerassetus, quia coronauit. Ita planè repleatur os nostrum laude, vt prædicemus tota die beneficentiam Dei. Psal. 145. *Exaltabo te Deus meus rex & benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi. Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in seculum.* Psal. 144. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælum, & digitos meos ad bellum.* Luc. 1. *Benedictus Dominus Deus Israël .i. Laudabo seu gratias agam Domino Deo Israël, quod populum suum benigne respexit, & Christum redemptorem patribus promissum nunc exhibuit.* Rom. 9. *Christus est super omnia Deus benedictus in secula.*

Ephes. 1. *Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, Qui benedixit nos omni benedictione spirituali, &c.* Vbi in priore membro, laudare seu gratias agere: in posteriore, benefacere, seu beatum reddere, significat. Cum enim Dei dicere sit facere: Benedicere Dei est benefacere & omnia bona tribuere, siue spiritualia & æterna siue præsentia & corporalia: sicut expresse hic Paulus benedictionem Dei, Abrahamæ promissam, nominat Spiritualem & coelestem, videlicet remissionem peccatorum, liberationem à maledictione legis, peccato, morte, ira Dei, æterna damnatione, reconciliationem cum Deo, S. sanctum, nouam iustitiam, vitam & gloriam æternam. Gen. 12. 22. 26. 28. In semine tuo benedicentur (beatæ reddentur, remissione peccatorum ac salute æterna donabuntur à Deo) omnes gentes, quæ fide, promissum hoc semen agnoscent & amplectentur.

Iudæi hanc promissionem de lausta precatone diuitiarum, pacis, regni, victoriarum, & similibus, quibus Abraham & ipsius posterì à Deo ornati sunt, & quidem tantum exemplari, non causali & efficaci benedictione propter Christum donanda, intelligunt. Sed Paulus Gal. 3. Ephes. 1. Rom. 4. & Petrus

& Petrus Act. 3. perspicue eam de vera, reali, ac efficaci benedictione spiritali interpretantur. Psal. 67. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus. Num. 6. Dominus benedicat tibi, & custodiat te. Matth. 25. Venite benedicti patris mei, &c.

Alias, de benedictione corporali vsurpatur: Prouerb. 10. Benedictio Domini diuites facit. Gen. 26. Benedixit Dominus Isaac & accepit illo anno centuplum, *Da er einen Scheffel seed / da frigt er von jedem hundert wider.* Psal. 107. Seminauerunt agros, & plantarunt vineas, & benedixit eis, & multiplicati sunt valde. Gen. 49. Benedixit te benedictionibus coeli desuper & abyssi iacentis deorsum.

Hæc altera significatio præcipua est pro benefacere, & pro ipso beneficio seu munere, ex bono animo, & bene alteri cupiente, dato. Gen. 33. *Accipe benedictionem.* Gal. 6. *Qui seminat in benedictionibus, is & metet in benedictionibus, id est, largis beneficijs.*

Postremo, denotat *BONA* & fausta precari: vt & vsitata salutandi formula est; Benedicat vobis Dominus. Num. 6. *Sic benedicetis filijs Israël.* Psal. 118. *Benediximus vobis ex domo domini.* Haftenus verbi Benedic significationes distinctas, testimonijs adiunctis illustraui.

Nunc in Grammatica textus enarratione procedo. Benedic *ANIMA MEA DOMINO*. Non satis est ore & labijs benedicere, vt Psalm. 62. dicitur: Ore suo benedixerunt, corde autem maledixerunt; sed ex animo proficisci debet gratiarum actio, *χαρίτων ἢ θυμὸς ἀγίς*: vt Ethnici etiam dixerunt. Aristoteles in Rhetoricis, *ὅτι εἰκὸς τὸν θεὸν χαίρειν ταῖς δαπαναῖς τῆς εὐμενίας ἀλλὰ διὰ τὴν εὐνοίαν θύοντων.* Non consentaneum est, Deum gaudere sumptibus sacrificiorum magis quam pietate sacrificantium. Dum cor non orat, intantum lingua laborat. Plato: *ὃ παραγεται ὁ θεὸς ὑπὸ δώρων ἀλλ' ἀποβλέπει πρὸς τὴν αἰσθητικὴν ὁρμήν, ἢ δικαιοσύνην τῶν τυγχάνοντων.* Nō placatur & persuadetur Deus muneribus, vt auarus foenerator: Sed animum, an iustus & sanctus sit, intuetur.

Significat autem anima, in sacris literis, alias animam rationalem, quæ est altera pars hominis; Mens, seu ratio. Matth. 10. *Animam occidere nequeunt.* Marc. 3. *Animam iacturam fecerit.* Sapient. 3. *Iustorum anima in manu Dei sunt.* 1. Pet. 1. *Abstinetis à carnalibus concupiscentijs, quæ pugnant aduersus animam.* 3. Reg. 17. *Reuertatur quasi anima pueri huius intra ipsum.*

Deinde, per Synecdochen, pro toto homine, ex anima & corpore constante, vsurpatur Rom. 13. *Omnis anima potestatibus subdita sit.* Ezech. 18. *Animam quæ peccauerit, ipsa peribit.* Leuit. 2. *Animam cum obtuleris.* 22. *Qui attigerit immundam animam, id est, hominem pollutum.* Ita hoc loco Dauid, se ipsum, ad agnitionem & celebrationem beneficiorum diuinorum exulciscens, inquit: *Benedic anima mea Domino.* Vel, animam & mentem suam per apostrophem alloquitur.

Tertiò sumitur pro affectu, volūrate, desiderio, appetitu, approbatione, Gen. 23. *Si est cum anima vestra, vt sepeliā mortuum, id est, si vobis placet.* Sanscritis mit ist. 1. Reg. 1. *Et ipsa erat amara anima, i. amaro affectu, tristis.* Ibidem: *Effudi animam meam coram Deo i. desiderium meum.*

Quartò, pro sanguine, qui est alimentum & vehiculum Spiritus vitalis, quo immediatè viuit homo. Gen. 9. *Carnem cum anima sua i. sanguine suo, non comedetis.* Deut. 12. *Non comedas sanguinem, quia sanguis est ipsa anima.*

Quintò, Cum animam sit immediata vitæ hominis causa, pro ipsa vita per Metalepsin vsurpatur. Gen. 9. *De manu viri fratris tui requiram animam hominis,*

minis. Matth. 2. Defuncti sunt qui querebant animam pueri. Exod. 21. Dabo animam pro anima. Ioh. 10. Bonus pastor ponit animam pro ouibus.

In latina lingua, Cicero, *A N I M A* aërem, qui inspiratur & exspiratur, & anhelitum, prima origine denotat. De vniuers. Inter ignem & terram, aquam Deus, animamq. posuit. De nat. Deorum. Aspera arteria excipit animam eam, quæ ducta est spiritu, eamq. à pulmonibus respirat ac reddit. De Oratore, Anima quæ spiritu in pulmonem ducitur. Item, Continere animam, den Añhem hælæn. Quare à Græco ἀνέμος, à vento seu agitatione animam deriuant, quod anima sit agitatio, qua mouetur & viuut corpus animantis. Quam Aristoteles ἐνδελήχεια, hoc est, continuam & perennem motionem definit.

A N I M U M verò propriè animam rationalem Cicero nominat. In Acad. Animus est mens sine ullo corpore De Vn. Deus animum, ut dominum ac imperatorem, obedienti præfecit corpori. Iuuenalis.

Sensum à cælesti demissum traximus arce,
Cuius egent prona, & terram spectantia: mundi
Principio indulsit communis conditor illis.
Tantum animas; nobis animum quoque.

Has significationes vocabuli *A N I M A* in sacris literis vñtatas, obiter indicare & discernere, in grammatica huius primi versus enarratione volui.

D O M I N O) Iehoua, vero Deo in ecclesia populi Israël patefacto. Solus enim *D E V S* fons & autor omnium beneficiorum agnoscendus & laudandus est. Soli *D E O* pro liberationibus ex periculis, & præsentibus ac æternis malis, gratiæ agendæ, qui solus ex vniuersis malis & tribulationibus nostris saluat nos, 1. Reg. 10. non merita nostra, non missæ, non sancti, quos opitulatores in Papatu nominarunt. Soli igitur Domino benedicere iubet. Proprium enim veri *D E I* nomen *I E H O V A* hoc loco vsurpatur (Esa. 42. Ego Iehoua, hoc est nomen meum & gloriam meam alteri non dabo) quod ethnici à patribus acceptum, in Iouem transformarunt. & Sebastianus Castaleo, qui omnium purissime latine Biblia conuertit, Ebraam vocem *I O V A* vbique retinet. Græci per nomen κύριος reddiderunt: quia Ebraei superstitione quadam, à pronunciatione sacrosancti nominis Iehoua abstinentes loco illius Adonai legunt, quæ vox propriè Dominum significat, fundantem & sustentantem familiam, imperia, rempublicam, & vniuersum hoc mundi theatrum. à Don fundauit, stabiliiuit, sustentauit. κύριος qui summam potestatem decernendi & mandandi habet, à κύριος autoritas. κυριακή Domini Dei domus, ein Kirch/ & iuncta voce latina & Græca Domfirch. Lutherus Græcos & Latinos imitatus, vocem Iehoua in Biblijs vbi que interpretatus est, *HEKKE*, idq. maiusculis literis expressit, vt discerni appellatio Iehoua veri Dei, ab Adonai & alijs inferioribus Dominis posset.

Et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius.

Vecal Kerabai, & omnia proximè mihi appropinquantia, seu omnia intima mea, vt sunt cor & cogitationes cordis humani, & cætera viscera, seu interiora carnea membra, Cor, Pulmones, qui vocis officina sunt, & velut folles, animam seu aërem inspiratum exprimentes, & annulis tracheæ arteriæ illidentes, sonum seu vocem edunt, quæ glottide, palato, lingua, dentibus & labris deinceps formatur & articulata & distincta efficitur. Psal. 62. Ore suo benedicunt, & in intimo (corde suo) maledicunt.

Ierem. 31. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum inscri-

incri-

Chyfr

inscribam eam. Quod dictum epistola ad Ebraeos citans, vocem Kereb seu viscera, vertit græcè διάνοια, seu mentem, διδὼς νόμους με εἰς τὴν διάνοιαν αὐτῶν, καὶ οὕτως καὶ αὐτῶν ἐπιγράψω αὐτὴς.

Quare hoc etiam loco, *Omnia viscera mea*, idem valet quod totum cor meum, seu totum pectus meum, mens, voluntas, omnes sensus & adfectus, Deum celebrent. sicut Moses Deum ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus diligere iubet.

Apparet autem Mariam virginem in suo cantico ad hunc Psalmum respexisse, & inde verba aliquot mutuam esse: Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo servatore meo. Quod enim Psalmus inquit, Benedic anima mea Domino, Maria effert, Magnificat anima mea Dominum .i. agnosco, profiteor & celebri magnam & immensam bonitatem & beneficia Dei ingentia, quæ in me humilem & spretam ancillam suam & in totam ecclesiam larga manu effudit: Et exultavit, seu exiliuit præ gaudio, ex agnitione & fiducia bonitatis & misericordiæ Dei in Christo promissæ concepto, spiritus meus, intimæ mentis meæ cogitationes, & voluntatis meæ desiderium, amor & fiducia, in vno & solo Deo acquiescens, & præ amore & læticia in Deo omnia humana negligens ac contemnens, ut martyres, nulla corporis & vitæ suæ, vllarumque rerum humanarum ratione habita, SOLI DEO spiritu & fide adherentes, in eo toti acquiescunt, & vnum hoc cogitant & agunt, ut Deo grata dicant & faciant, ut Deum magnificent & glorificent. 1. Timoth. 5. Ut integer sit vester spiritus & anima, & corpus, in aduentu Domini nostri Iesu Christi. Ut enim in tabernaculo discernebantur: Sanctum sanctorum: sanctum, in quo septem lampades: & Atrium: Ita in homine, intimum, quod cum Deo agit, est Spiritus. Mens, voluntas, & quinque sensus sunt 7. lampades in sancto. Corpus est atrium.

NOMEN SANCTVM EIVS, Nomen quasi nouimen seu notamen rei, à nosco, quo aliquid agnoscitur, & ab alijs rebus discernitur. Item, Notitia seu cognitio, prædicatio, celebratio. Sanctificetur nomen tuum .i. notitia seu agnitio ac inuocatio Dei, prædicatio doctrinæ de Deo, & totius vitæ obedientia sit pura & sancta, ut Deum celebret. Deinde usurpatur nomen, pro personis, seu hominibus, & rebus ipsis, quarum sunt nomina. Viue tibi & longè nomina magna (*magnos & potentes homines*) fuge. Mala nomina sæpè compellenda (*improbi debitores*) nam bona etiam nomina sunt mala, non appellando. Act. 4. Non est aliud nomen (*persona* *super alia, medium aliud*) in quo oporteat nos saluos fieri, præter nomen Domini IESU. Apoc. 3. Habes pauca nomina (*homines paucos*) in Sardibus. Nomen Romanum .i. homines Romani.

Sic nomen DEI, ipsum Deum Iehoua certo verbo patefactum, & iuxta id verbum à nobis agnitum denotat, & veram notitiam cum vero Deo coniungit. Protegat te nomen Dei Iacob .i. ipse Deus, rectè à te agnitus & inuocatus.

SANCTVS, purum, impollutum, mundum, innocentem, omnis labis & maculæ expertem, seu iustum iustitia vniuersali, *ἰερόν καὶ ἄστυλον* declarat: & cum κατ' ἐξοχήν de Deo dicitur, perfectè mundum ac IUSTVM habentem omnes virtutes, & omnium virtutum summos gradus, omni vicio ac labe carentem, ac nos homines sanctitatis suæ imputatione & incoactione sanctificantem denotat. Cum de hominibus loquimur, mundum ac

Chyfr

iustum imputatione sanctitatis Christi, ac incoatione nouæ obedientiæ per spiritum sanctum, denotat, Leuit. 19. Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester, Esai. 6. S A N C T V S, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Zebaoth. Hæc ecclesiæ triumphantis & militantis assidua prædicatio & confessio est; Vero corde agnosco, & externa voce ac totius vitæ obedientia profiteor ac prædico, verè esse Deum sanctum, bonum, purum, veracem, iustum, castum, beneficium, misericordem, omnipotentem, iudicem ac vindicem scelerum, æternum patrem, filium, & Spiritum sanctum, iustificantem & sanctificantem nos propter filium: & omnia consilia & opera Dei, in creatione mundi, collectione ac defensione ecclesiæ, & totius mundi ac rerum humanarum gubernatione, quantumuis mira & absurda rationi humanæ videantur, tamen sancta, sapientissima & iustissima esse. Verè enim Deo curæ esse res humanas, & recipere eum, exaudire ac æterna salute donare omnes ad filium mediatorem confugientes, & in periculis eum inuocantibus præsentem adesse custodem & opitulatorem, nec casu vel causis secundis, aut viribus humanis, sed verè ab ipso Deo Domino Zebaoth pericula depelli, & victorias in bellis, & alia bona animæ & corporis, præsentia & æterna, nobis præberi. Hæc fide agnoscere & voce prædicare, & ferio nos ira sentire, totius vitæ obedientia testari, est benedicere nomen eius, & Hymnum gloriæ Deo canere, sine fine dicendo, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Zebaoth.

Alibi etiam Sanctus, Deo dicatum significat: vt vasa sancta in tabernaculo vñibus ministerij diuini destinata dicebantur.

I I.

Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnium retributionum eius.

Secundus versus, partim iisdem, partim mutatis verbis, primum repetit & inculcat, vt in cogitatione huius sententiæ lectorem detineat, & magis insinuet in animum, & altius penetret ac moueat & accendat ad benedicendum Domino.

Noli obliuisci omnium retributionum eius. Id enim *καὶ ἀφ' ὧν τὸ ἐκείνου ἐστὶν* est benedicere Domino, seu gratias agere, videlicet non obliuisci beneficia eius, non obliuisci beneficiorum, quæ a Deo vel hominibus accepimus. Vulgo enim cui dolet meminisse: cui placet obliuiscitur. *ἀμνηστὶς ἵσθ' ὅτι*. Suntq; omnes homines natura ingrati, obliuiosi, mendaces, superbi, & iniusti, pro summis beneficijs ingentia maleficia reddentes, sicut de ingratitude & virtute opposita, in enarratione primi versus Psalmi huius prolixius diximus. Alfonso rex Neapolitanus dixit, malle se veterū benefactorum, quàm recentium maledictorum memoriam conseruare. Tales perpauci sunt.

RETRIBUTIONES verò nominat, vt nos de emendanda ingratitude moncat. Nos retribuimus Deo mala pro bonis: qui condidit nos, cum non essemus; dedit vitam, non solum communem cum pecudibus; sed etiam imaginem & similitudinem suam impertijt nobis. Nec quicquam a nobis flagitabat, nisi similitudinem suam, vt Deo, omnium virtutum, pietatis, iustitiæ, bonitatis, misericordiæ, veritatis, mansuetudinis, castitatis cultu similes & conformes essemus. At nos pro his summis beneficijs retribuimus impietatem, iniustitiam, & omnis generis peccata & scelera. pro qui-

pro quibus horrenda poenae & calamitates retribui à Deo iuste poterant. Sed immensa bonitate & misericordia Deus retribuit remissionem peccatorum, iustitiam, salutem, vitam, victum, & omnis generis bona. Nec pro his retributionibus quidquam requirit aliud, quam ut non obliuiscaris retributionum eius, sed eas laudes & celebres, idque non ipsius potissimum causa, ut ipse honestior & clarior fiat, sed ut tu in vera pietate proficias, & fidem ac ceteras virtutes alas, augeas, conserues.

Tu nihil habes, quod ipsi de tuo retribuas nisi peccatum. Deus vero quod exigit, non sibi, sed tibi exigit, tibi proderit, tibi seruetur, ut tu assidua commemoratione & confessione retributionum illius Deo arctius agglutineris, nec per obliuionem illarum & ingratitude, ab eo auulsus, pereas. Hac emphasis vocabuli retributionum hoc loco à S. Augustino vrgetur.

I I I.

Qui propiciatur (ignoscit) omnibus iniquitatibus tuis.

Propositio, primis duobus versibus Psalmi, gratias Deo agere, pro omnibus beneficijs, iubet. Hoc totum vniuersale, iam distribuit in partes, & ordine beneficia Dei praecipua decem enumerat, ex quibus primum est: Remissio peccatorum. Principalis autem & propria euangelij doctrina, & peculiaris ecclesiae Christi sapientia, discernens eam ab omnibus alijs gentibus, & praecipua ac summa in omnibus vitae huius arumnis & doloribus & morte ipsa, consolatio est, promissio de remissione peccatorum seu debitorum nostrorum, gratuita Dei bonitate & misericordia, non propter vlla nostra opera aut virtutes, sed propter solum filium Dei dominum nostrum, gratis credenti donanda, ut in Symbolo profiteamur: Credo remissionem peccatorum, mihi à Deo patre, propter filium mediatorem pro nobis mortuum & resuscitatum certo donari. Hanc doctrinam semper ecclesiae notam fuisse, eamque ab omnibus alijs coetibus distinxisse, Petrus Acto. 10. testatur, Christo omnes prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnem qui credit in eum.

Act. 15. Credimus nos per gratiam Domini nostri Iesu Christi saluari, sicut & patres saluati sunt, Psal. 2. Osculamini filium: Beati omnes qui confidunt in eo. Psal. 32. Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata (umbraculo mediatoris Christi) Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. & paulo post: Tu remisisti impietatem peccati mei. Coloss. 2. χαρισάμενος (ex gratia condonans) nobis omnia delicta.

Ephes. 1. In Christo habemus redemptionem, per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, iuxta diuitias gratiae ipsius. In hoc autem agnoscuntur remissa peccata, si relinquantur futura. nam eadem gratia quae remittit, facit ne committas, ut Augustini verbis utar. Plenior autem enarratio huius doctrinae de remissione peccatorum ex Matth. 18. & Habacuci dicto, I u s t u s fide sua uiuet, huc assumatur.

Qui sanat omnes infirmitates tuas.

11. Beneficium. Sanatio infirmitatum seu morborum nostrorum. Aliud est enim telum infixum de corpore demere, aliud vulnus à telo factum, secunda curatione sanare. Sic prima curatio est causam remouere morbi, per remissionem peccatorum, altera, ipsum sanare morbum, quod fit paulatim

latim proficiendo in renouatione imaginis Dei, ad quam homo conditus est, Augustin. lib. 14. de Trin. cap. 17. Manent enim in omnibus, etiam post acceptam remissionem peccatorum, iustificatis & sanctis, multae magnae infirmitates & morbi, defectus, inclinationes, adfectus, & concupiscentiae pugnae cum lege Dei, caligo in mente non plane dispulsa, multae dubitationes, quibus tamen renati fide repugnant. In voluntate defectus timoris & amoris Dei, non ita ardentis ex tota anima, ex omnibus viribus, ut debebat: inclinationes ad securitatem carnalem, admirationem sui, superbiam, cupiditatem vindictae, & omnis generis adfectus vitiosos. in corde, multiplex confusio viciosarum flammularum & cupiditatum, seu concupiscentiae honorum, gloriae, pecuniae, vindictae, amoris, voluptatum, parentum, fauoris principum & aliarum rerum terrenarum maioris, quam ipsius Dei: multiplex impatientia, & fremitus in ærumnis.

Rom. 7. 8. Non quod volo bonum, hoc facio, sed malum, quod nolo, perpetrat inhabitans in me peccatum: Video enim aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meae, & captiuum me facientem legi peccati, &c. Nulla autem condemnatio est his, qui in Christo Iesu, non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum, & deinceps, usque ad clausulam. Si spiritu actiones carnis mortificabitis, viueris.

1. Iohan. 1. Si dixerimus quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas non est in nobis.

Psal. 32. Beati quorum remissae sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, &c. Tu remisisti impietatem peccati mei, pro hac orabit ad te omnis sanctus.

August. Tract. 41. in Iohannem. Non regnet peccatum in nostro mortali corpore. Non ait, non sit, sed non regnet. Quamdiu viuus, peccata necesse est esse in membris tuis. saltem illi regnum auferatur, non fiat quod iubet. Hic certe de renatis loquitur.

Et lib. 5. contra Iulianum, cap. 3. Concupiscentia carnis aduersus quam bonus concupiscit Spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis: & poena peccati est, quia reddita est meritis inobedientis: & causa peccati est, defectione consentientis, vel contagione nascentis.

Has tetras infirmitates & languores sanat Deus archiater animarum nostrarum, primum tegendo & non imputando.

Deinde, per SPIRITUM sanctum accendendo in mente nouam & illustrem notitiam Dei, & flectendo voluntates & corda, ut Deo obediant & conformia sint, ut paulatim expurgato peccato, noua iustitia & sanctitas, seu imago Dei, ad quam conditi sumus, in nobis instauretur.

Tertio, per salutarem sanctae Crucis medicinam, quae eam quoque ob causam nobis toto vitae tempore imponitur, ut emendemus peccata interiora, dubitationes, superbiam, securitatem, & caueamus futuros lapsus, Esaia 27. Hic est fructus afflictionis eius, ut auferatur peccatum eius, & fides, timor Dei, inuocatio, patientia, & ceterae virtutes in nobis crescant & confirmantur, 1. Pet. 1. Paulisper adhuc, si opus est, afflictus varijs tentationibus, ut probata fides nostra multo preciosior inueniatur auro per ignem probato, in laudem & gloriam Dei. Esaia 26. In angustia requisierunt te.

Postrema curatio est *μορσ*, *φάρμακον* καὶ καθαρισμὸς τοῦ σώματος: pharmacū, quo anima & corpus ab omni peccato & labe purgantur. Qui

Qui redimit de interitu vitam tuam.

Tertium beneficium est redemptio seu liberatio ex morte. nam prior versus, de mali culpæ seu peccati condonatione & sanatione locutus est. Hic, de malo pœnæ, seu morte æterna & corporali, & pœnis seu calamitatibus tragicis, mortem præsentem intentantibus, per filium Dei redemptorem ac vindicem nostrum tollendis, concionatur. Filius enim Dei dominus ac redemptor noster Iesus Christus, immensa bonitate & misericordia nos ab æterna morte ac damnatione, persoluto pro nobis λύτρα sufficienti redemit: & victam à se & absorptam mortem corporis nostri, in quietem & somnum salutarem conuertit. ex quo postrema mundi die euigilantes resurgemus: & corpus hoc nostrum, obnoxium corruptioni, morbis, morti, & pollutum viciosis inclinationibus & affectibus seu concupiscentijs carnalibus; reddet incorruptum ac immortale: vt ex polluto & contaminato peccatis, purum, mundum ab omni labe, dolore, curis & angoribus libetum, clarum & gloriosum fiat. Postremo etiam durante huius vitæ mortalis curriculo, eripit de interitu vitam nostram, custos est vitæ & valetudinis nostræ, vt Ezechia recreato ex lethali morbo, quindecim annos vitæ addit: Daniele ex lacu leonum; Iosephum, Ieremiam, Paulum ex carcere, & alijs periculis mortem intentantibus liberat. & donec singulorum curricula durare vult, defendit eos & seruat in vita, vt aliqui veræ doctrinæ de Deo testes & propagatores in terris mancant. Dominus enim est vita nostra (dator & custos vitæ) & longitudo (prorogator) dierum nostrorum.

Quod autem ad vocabula attinet; prorsus idem verbum *G O E L* hic usurpatur, quo *Oleas* vitur: De manu inferni liberabo eos, de morte *REDEMAM* eos. & Gen. 48. Angelus, qui redemit me ex omnibus malis, benedicat pueris istis. Id verbum *G O E L* hoc loco *LXX.* interpretes vertunt *την λύτράμενον ἐκ φθορᾶς τῆς ζωῆς*. Qui (persoluto pro te precio) redemit a corruptione vitam tuam, vt corpus tuum corruptibile ac mortale, in resurrectione fiat incorruptibile ac immortale. Ideo *LXX.* interpretationem sequens Augustinus, his verbis præsentem versum enarrat: *Qui redimit de corruptione vitam tuam, ibi sanabitur omnis languor tuus, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem.* redempta est enim vita tua de corruptione. iam securus esto. Initus est bonæ fidei contractus. nemo fallit redemptorem tuum. Egit hic commercium. iam precium soluit, sanguinem fudit, sanguinem inquam fudit vnicus filius Dei pro nobis. *O ANIMA ERIGE TE*, tanti vales, redimet de corruptione vitam tuam. Ostendit exemplo, quod promisit in præmio. Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustitiam nostram. Sperent membra quod in corpore demonstratum est.

Singuli etiam cogitent, quoties ipsorum vita ab interitu liberata sit, iam inde à prima infantia vsq; ad senectam, ex quot periculis, morbis & alijs calamitatibus erepti sint.

Qui coronat te misericordia & miserationibus.

III. Beneficium. *CORONA* vitæ & gloriæ æternæ. Sic enim in nostro etiam testamento nominatur beatitudo & salus æterna in Iohanne Apoc.

Apoc. 2. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. 1. Pet. 5. Refereris immarcescibilem gloriæ coronam.

2. Timoth. 4. Certamen bonum certavi, cursum consummaui, fidem seruaui, de cætero reposita est mihi iustitiæ corona, quam dabit mihi Dominus in die illa iustus iudex, non solum autem mihi, sed etiam omnibus qui diligunt aduentum eius.

1. Corinth. 9. Omnes qui certant, in omnibus abstinent, illi quidem ut perituram coronam accipiant: nos verò ut incorruptam. Alludit enim Paulus ad certamina in ludis Græcorum usitata, in quibus cursu, pugilatu, saltu, lucta vincentibus, *CORONA* dabatur, in Olympijs ex olea, in lithmiis ex pinu, in Nemeis ex apio, in Pythijs ex malo, ut in græco Epigrammate dicitur:

Τέσσερες εἰσὶν ἀγῶνες αἱ ἐλλαδα τέσσαρες ἱστοί,
 Ἀθλα δ' ἑ, κότιν, μήλα, σέλινον, πῖτον.
*Sacra per Argiuas certamina quatuor vrbes,
 Præmia, Oliuaster, poma, apium, picea.*

Tota autem Christiani hominis vita super terram, perpetua quædam militia, agon & lucta est, cum Diabolo mille nocendi animabus & corporibus nostris, artibus instructo: cum propria carne seu viciosis inclinationibus & adfectibus, in corde nostro hostili more aduersus legem Dei graffantibus: cum externis illecebris: cum Hæreticis, & tyrannorum ac omnium impiorum minis ac persecutionibus, & omnis generis spiritualibus & corporalibus ærumnis. Nunquam bella bonis, nunquam certamina desunt, Et cum quo certet, mens pia semper habet. At non certanti nulla est speranda corona.

Instruit autem Paulus militem Christianum, tegumentis, & armis, ad defensionem & feriendum ac vincendum hostem, necessarijs, Ephes. 6. & Petrus 1. Pet. 5. Aduersarius vester diabolus circuit tanquam leo rugiens, querens, quem deuoret. cui resistite fortes in fide.

Dimicamus autem cum hoste, & vincimus non nostris viribus, non nostra sapientia & potentia, non enim idonei sumus ad cogitandum aliquid, multo minus ad agendum & proficiendum ex nobis, tanquam ex nobis, sed omnis idoneitas nostra ex Deo est. Pugnamus igitur cum hostibus ipsi nos, & luctamur, ac victoriam consequimur, sed à Deo subministratis viribus, qui prior mundum pro nobis vicit, & nos certantes adiuuat & corroboret. Victores ergo coronamur. Verum *DEVS* coronans nos misericordia & miserationibus; *DONA SVA CORONAT, NON NO- STRA MERITA.* Donum enim Dei est vita æterna, in Christo Iesu, gratuita bonitate & misericordia nobis tributum.

Deinde, coronat nos *DEVS* in hac vita omnis generis beneficijs, quæ à prima infantia, usque ad vitæ finem, velut flores in serpto contexti, alia alijs coherent, & inter se apta & connexa sunt. Cum nihil essemus, creauit nos in aluo matris, deinde ex tenebris vteri materni eduxit in hanc lucem, aluit lacte in vberibus matris preparato, per parentes interdum & noctu fouit nos, educauit, instituit ad virtutem & literas, instruxit donis conuenientibus nostræ vocationi, suppeditat vires, ut labores & curas vocationis possimus sustinere, dat succellus salutare, dat victum, doctrinam, pacem, honestum locum in vita, mitigat poenas, quas meriti sumus.

Præterea *ANNVM* totum nostra causa *DEVS* benignitate sua *CORONAT.*

SONAT. Ver adeo frondi nemorum, ver vtile filuis, Non alios prima cre-
scentis origine mundi illuxisse dies, &c. Martius dat violas, Esoces, Salmo-
nes. Aprilis, frondes & flores arborum. Maius copiam lactis, butyri, caseo-
rum. Iunius, Prasinos, & fruges nascentes ad maturitatem perducit. Iulius
& Augustus messem seu frumenta omnis generis. September, poma, fru-
ctus arborum. October, vinum. Nouember, porcos glandibus saginatos, &
omnis generis feras, &c.

Multò autem preciosior corona est beneficiorum spiritualium, quæ
sunt, Patefactio Dei, missio filij redemptoris, ministerium Euangelij, remis-
sio peccatorum, liberatio ab ira Dei, maledictione legis, æterna morte, re-
conciliatio cum Deo, lux veræ agnitionis Dei, noua iustitia, gubernatio
Spiritus sancti, consolatio in cruce, defensio aduersus insidias diaboli, pi-
us ex hac vita discessus, resurrectio ex morte, vita beata, in qua Dei visione,
amore, & lætitia in omni æternitate fruemur, & DEVM, qui erit finis de-
sideriorum nostrorum, sine fine videbimus, sine fastidio amabimus, sine fa-
tigatione laudabimus. Ideo sequitur

V.

Qui replet in bonis desiderium tuum.

Coronam enim vitæ beatæ & æternæ acceptam sequitur plenitudo
desiderij nostri, seu plena visio ac fructio Dei, sua luce, sapientia, iustitia, vi-
ta, & lætitia totum appetitus seu voluntatis nostræ desiderium perfectè
completis ac quietum reddentis. Nulla enim huius vitæ bona, fluxa & ca-
dūca, non voluptates, non diuitiæ, non honores: sed solus DEVS sum-
mum & simplex bonum, in quo omnia bona insunt, explere hominis ani-
mum & satiare, & cor quietum ac tranquillum reddere potest.

Cum enim mirandi motus amoris, desiderij, & lætitiæ in pectoribus
humanis, ideo conditi sint, vt ante omnia Deum ipsum velut SUMMUM BO-
NUM ardentè expetant, desiderant, ament, & amplectantur, & in eo læ-
tentur: non potest adquiescere cor humanum, ad summi huius boni fructi-
onem conditum, priusquam totum in amore ac desiderio Dei fixum, sum-
mo hoc & simplici bono, in quo omnia bona insunt, & quod solum reple-
re appetitus humani immensitatem potest, potiarur.

Nunc picta, fucata, & futilia huius vitæ bona pro veris homines expe-
tunt & captant, & celerem habitura finem sine fine concupiscunt: præsen-
tium tantum curant, qui futura non credunt. & cum desideratis bonis potiti
sunt, statim his fastiditis expetunt alia, vt ad mensam canes, quantumuis
accipiant, subito deglutiunt, & iterum nouæ prædæ inhiant. Ita ostendunt,
se Deum summum bonum non desiderare, non expetere, non curare. Quia
subinde plura alia concupiscunt, & in Deo vnico & simplici bono, quod
solum replere & satiare desiderium nostrum potest, non adquiescunt.

Psal. 75. Quid in coelo & in terra præter te desiderarem. Cum conta-
bescunt caro mea & cor meum, tu petra cordis mei, & pars mea Deus in
æternum. Si modò tu præsto mihi sis, quid cætera curem? Psal. 42. Quem-
admodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea
ad te DEVS. Sitiuit anima mea ad Deum, Deum viuum, quando veni-
am & videbo faciem Dei. O Deus accende hoc desiderium & sitim in no-
stris cordibus.

Mmm

Cum

Cum autem corda nostra, Noricis rupibus duriora, tanti boni desiderio non moueantur, excutiamus stuporem & veterum ex animis nostris, & precemur DEVM vt tanti boni desiderium ardentius in nobis accendat, & amoris sui ignem in nobis inflammet.

Renouabitur, velut aquila, iuuentus tua.

VI. Beneficium. Renouatio IMAGINIS DEI, ad quam homo conditus est. Accepta enim corona iustitiæ ac vitæ æternæ, cum clara & illustri Dei visione & lætitiâ fruimur: tum integrè & perfectè renouatur & restituitur nobis imago ac similitudo DEI, seu conformitas mentis, voluntatis, cordis, omnium virium cum Deo archetypo, quam in iuuentute, seu prima conditione, homo habuit, seu, ad quam initio homo conditus est. similis lux seu notitia Dei, expers omnis caliginis, sapientia sine errore, iustitia sine omni peccato, lætitiâ sine omni mœrore, & vita sine omni dolore & morte, qualis in ipso Deo est, in nobis quoq; diuina luce & vitâ repletis, fulgebit: cum de gloria seu luce fidei in hac vitâ accensæ, in gloriam seu claritatem visionis æternæ translati erimus. Hoc loco doctrina de imagine Dei ex Ephes. 4. Colos. 3. 2. Corinth. 3. cuius in enarratione Genes. 1. capita præcipua recensui, repetatur.

Quod autem ad aquilæ imaginem attinet: scribunt, aquilam, cum senuerit, grauata pennarum mole & hebescente oculorum acie, quærere fontem, cui ter se immergens, rursus erigat pennas, & recipiat visum, & maximo impetu versus solem feratur, vt acies vegetior fiat, & pennis exultis nouæ renascatur. Basilius: *Διὰ τὴν παλινγενεσίαν ἀνακαινίζονται ὡς ἀστὲρ τὸ πνεῦμα.*

August. Aquilæ senescenti rostrum superius ita accrescere ait, vt adun- citate nimia aperire & cibum recipere non possit. Quare & senectâ & cibi inopia languefactæ aquilæ, superius rostrum ad petram deterunt: & cibo recepto pristinum vigorem & alacritatem recuperant. Sic nos prægrauati carne peccati in nobis crescentis ea quæ impediunt renouationem ac beatitudinem nostram, veterem videlicet hominem in petra Christo deteramus, & à petra Christo remoueri à nobis & auferri sinamus. Sic renouabitur in Christo velut aquilæ iuuentus nostra. Augustini verba sunt: Quando satiabitur in bonis desiderium nostrum? Respondeo, Cum renouabitur sicut aquilæ iuuentus nostra. Non satiari modo, quia non est idonea anima tua ad solidum illum & magnum cibum, sed rostro clauso non est idonea. vetustas tibi os clausit, propterea petra data est, vbi vetustate contrita, renouetur iuuentus tua sicut aquilæ, vt possis manducare panem tuum illum, qui ait: Ego sum panis vitæ, renouabitur iuuentus tua sicut aquilæ. tunc satiaberis bonis.

Alij ad bona corporalia quintum hunc versum accommodant, & vertunt, Qui replet bonis os tuum, seu maxillas tuas, Ædiecha. i. Deus suppe- ditat ori tuo omnia, quæ ad victum, seu cibum ac potum, & corporis nutri- tionem idonea sunt, panem, vinum, fruges, legumina, radices, poma, her- bas, remedia, sicut os infantis primum nati, lacte ex vberibus maternis hausto, replet. Non igitur præcipua & summa nostra sollicitudo & cura de victu sit, Matth. 6. Primum quærite regnum Dei.

Alterum hemistichion, crudam viridemq; senectam, seu vires etiam in senectâ vigentes & vegetas promittit, cuiusmodi senes Psalmus 92. de- scribit: Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebut. Ad- huc in senectâ virides & vegeti erunt, vt annuncient, quoniam rectus Domi- nus De-

nus Deus noster, & non est iniquitas in eo. Quibus non tarda senectus debilitat vires animi, mutatque vigorem. *Γέρων ἀκμάζων νέων πολλῶν κρείσσων.* Ingens autem & singulare donum Dei, & reipublicæ præsidium ac ornamentum excellens est talis senex, qualem Iosue 14. Calebum, in Deut. Moysen, sacrae literæ celebrant, & Catonem Censorium Liuius Dec. 4. lib. 9.

VI.

Faciens iustitias DOMINVS.

DEVS non solum ipse IUSTVS est, volens, requirens & approbans congruentia cum sua lege, quæ æterna & immutabilis iustitiæ norma est: verum etiam facit iustitias, non tantum puniens atrocia scelera atrocibus poenis in hac vita & æterna, in summis regibus, tyrannis, & infimis rusticis, sine vlla personarum acceptione. vt in primo præcepto inquit: Ego sum DOMINVS Deus Zelotes, visitans iniquitatem, seu puniens peccatum, & Plato inquit: τῷ Θεῷ ἀεὶ συνέπεται δικη τὴν ἀπολεπομένων θεῶν νόμος τιμωρὸς. ἢ ὁ δαμνῶντες μέλλον, αἰεὶ μετοχῶν. αἴη: Deum semper comitatur iustitia transgressorum legis diuinæ vindex, cuius beatus fieri volens, semper particeps erit. verumetiam, omnia consilia & opera gubernationis diuinæ, in ecclesia & imperijs, iusta & recta sunt. etiam si inter tantas confusiones temerè & casu ferri res humanas, vel certè multa iniuste & indigne fieri nobis videntur: tamen ab hac externa specie, oculos, in sapientiam & iustitiam Dei conuertamus, & hanc veram confessionem inter homines sonemus. Iustus Dominus in omnibus vijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Psal. 145. Magna & miranda sunt opera tua Domine Deus omnipotens, iustæ & veraces sunt viæ tuæ. Quis non timeret te Domine, & glorificaret nomen tuum, quia tu es sanctus.

Hac proprietate, seu iustitia DEI, & exemplis iustæ executionis poenarum aduersus delinquentes, tyrannos, Pharaonem, Nabugodonosor, & alios, piè & attentè consideratis: verus TIMOR Dei, serio expauescens agnitione iustissimæ iræ Dei aduersus peccatum, & filiali metu iræ ac iudicij diuini vitans omnia scelera, & Deo obedire & grata facere studens in animis nostris excitatur.

Et iudicium omnibus iniuriam patientibus.

VIII. Beneficium. Deus mitigat & lenit ærumnas iniuste oppressis, eosque liberat & seruat. vt Dauidem, in exilium à filio seditioso eiectum: Daniëlem ex lacu leonum: Iosephum seruitute & carcere oppressum sustentat, & in pristinam libertatem & dignitatem restituit.

VII. versus.

Notas fecit vias suas Moysi, & filijs Israël voluntates suas.

IX. Benef. Patefactio VERBI seu doctrinæ legis & promissionis de Christo, per Mosen & cæteros patres ac prophetas in populo Israël traditæ & propagatæ. Quæ patefactio, & veram Dei agnitionem ac inuocationem, & normam consiliorum actionumque vitæ immotam & firmam, & consolationem in omnibus ærumnis monstrat. Magnitudinem verò huius beneficii exaggerat Psal. 147. Qui annunciat verbum suum Iacob, iustitiam & iudicia sua Israël. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non

manifestavit eis. Differui autem de patefactione DEI, & verbi à Deo patefacti autoritate, certitudine & vtilitatibus immensis, prolixè in cap. 4. Deuteronomij, vnde huc assumantur. Etsi enim multa toti rerum naturæ impressa sunt testimonia de Deo, præsentemque refert quælibet herba Deum, & bonitatem, sapientiam ac omnipotentiam DEI: tamen multò illustrius bonitatis Dei testimonium est patefactio verbi, docens de misericordia DEI promissa propter filium mediatorem & de æterna salute nostra, de qua sequentes versus concionantur.

VIII.

Misericors & miserator Dominus, longanimis & multum misericors.

Haftenus beneficia Dei præcipua nouem ordine Psalmus noster enumeravit. Nunc causam efficientem impulsivam, seu fontem beneficiorum ostendit, bonitatem & misericordiam Dei immensam, quatuor verborum ferè idem significantium repetitione illustratam.

Cum autem Deum non cernamus oculis, nec brachijs corporis eum amplecti possimus, sed mente & fide à nobis intuendus sit: Deus ipse in suo verbo se patefecit, & se essentiam bonam, iustam, veracem, beneficam & misericordem esse ostendit. sicut plerarumque harum virtutum notitias mentibus humanis indidit, & inter homines lucere eas & conspici voluit, ut ipsum DEVM veracem, bonum, iustum, castum, beneficum, & misericordem esse agnoscamus. & harum virtutum attributione, ipsum in quotidiana invocatione, & omni de Deo cogitatione, à Diabolis mendacibus, improbis, impuris & crudelibus discernamus. & nos homines, ipsi archetypo, bonitatis, iusticiæ, misericordiæ, & cæterarum virtutum congruentia, similes & conformes esse oportere sciamus. Est autem inprimis conspicua & illustris virtus, discernens Deum à diabolis & hominibus crudelibus, iniustis, ac immitibus. MISERICORDIA, quæ in toto choro reliquarum virtutum Dei, super cæteras eminet ac elucet, & in hoc Psalmo præcipuè celebratur, & Psal. 145. iisdem ferè verbis hic versus repetitur (qui illic etiam ordine octauus est) Miserator & misericors Dominus, tardus ad iram & multum misericors. Bonus Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.

Verè enim MISERICORS & miserator Dominus, miserijs nostris verè & ex corde afficitur, neque ut promerentur peccata nostra punit nos, sed miranda bonitate & *Misericordia* propter filium mediatorem, iustissimæ aduersus nostra peccata iræ suæ rigorem temperat, remittit nobis peccata, & mitigat eorum poenas, & opem ac salutem adfert miseris, etiam indignis & horribiliter pollutis, sed tamen fide ad thronum gratiæ Christum mediatorem confugientibus. ut optimis & grauissimis versibus, misericordiam & gratiam Dei exuberantem supra peccatum, Picus Mirandula describit:

*Parce precor miseris, nostras precor ablue sordes,
Ne nos iusta tua poena furoris agat.
Tu certè ille ipse es, proprium cui parcere semper,
Iustitiamque pari qui pietate tenes.
Præmia qui ut meritis longè maiora rependis,
Supplicia admittis, sic leniora, malis.*

Namq.

*Namque tua est nostris maior clementia culpis,
 Et dare non dignis, res mage digna Deo est.
 Quanquam sat digni, si quos dignatur amare,
 Qui, quos non dignos inuenit, ipse facit.
 Ergo tuos placido miserans, precor, aspice vultu,
 Seu seruos manus, seu magis esse reos.
 Culpa reos fecit, sed vincat gratia culpam,
 Vt tuus in nostro crimine crescat honor.
 Da precor huic tanto, qui semper feruet, amor
 Ardorem in nostris cordibus esse parem.*

Hæc elogia seu attributa Dei, quæ in hoc octauo versu recitantur, (Misericors & miserator Dominus, longanimis & multæ bonitatis) primum ad veram agnitionem & inuocationem D E I: deinde, ad consolationem nostræ conscientie, peccatorum suorum magnitudine, & iræ ac iudicii diuini, quod in poenis potissimum sentitur, seueritate territæ: tertio, ad imitationem transferamus.

Talis est enim D E V S, qualem hæc elogia, veritatis, iustitiæ, castitatis, beneficentiæ, ac misericordiæ inprimis describunt, vt antea monui. & fiducia misericordiæ Dei, in Christo promissæ, ad Deum in quotidiana inuocatione accedendum est. Deinde, fundamentum vniuersæ consolationis Christianæ, terroribus iræ Dei, peccati, mortis, & desperationis opponenda, est misericordia D E I gratuita exuberans supra peccatum. Cum enim vnigenito filio suo D E V S non pepercerit, sed pro nobis, cum adhuc peccatores essemus, eum in mortem tradiderit; quanto magis nunc agentes penitentiam, in Deo per filium reconciliatos complectetur. Sed peccatores D E V S non exaudit, inquires, Ego verò peccator sum, indignus misericordia Dei, cuius voluntati non obtemperaui, quem grauissime toties repetitis lapsibus offendi. Peccaris sanè & lapsus sis grauius etiam quàm Manasse, aut primi parentes, aut latro in cruce. Sed desine peccare, pere veniam, dicas, Confitebor aduersus me iniustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Est enim misericors & placabilis & immensæ bonitatis. Confide ergo in bonitate & misericordia Dei propter Christum promissa, nec dubites tibi peccata remitti, te reconciliatum esse D E O, te Deo placere, à Deo respici, exaudiri, iuari, & salute ac gloria æterna certo donatum iri. Sic in tentationibus peccati, iræ Dei, ac æternæ damnationis, vbi mens nostra Deum nobis imitem, immisericordem, & crudelem iudicem, falso sibi proponit: consolationem ex hoc Psalmi versu petamus. Et huc reliqua testimonia, desperationi opponenda, adiungantur.

Postremo, Exemplum Dei misericordis & valde benefici, imitemur. Sumus misericordes, vt pater noster cœlestis misericors est, non simus immites, morosi, implacabiles, tenaces odiorum: sed libenter ignoscamus & condonemus offensiones & iniurias ijs, à quibus læsi sumus, & optulemur miseris, vt Deo misericordi similes & grati simus, ne Dei erga nos gratiam & misericordiam, vt seruus ille nequam conseruo non remittens, amittamus, Matth. 18. 5. Nam, vt Seneca etiam dixit, Non est magnus animus & Deo similis, in quem incurrit iniuria: nec est argumentum magnitudinis certius, quàm nihil posse, quo instigeris accidere. Nihil enim magnum est, nisi idem sit placidum. Quo quisque est maior, magis est placabilis ira.

Ludouicus XI. rex Galliarum dixit, Iniurias duci Aureliæ illatas nihil ad

regem Galliae pertinere. Alexander magnus, Regium est *ἡ πρῶτη καὶ ἀνδρῶν*. Fridericus III. Quosdam nobis verbis maledicere non mirum, si nos malefacimus. Benè nobiscum agitur si verbis tantum impetitur. Polonus, Malo vnum apud multos, quam multos apud vnum malè audire. Val. Max. Speciosius iniuriæ beneficijs vincuntur, quam mutui odij pertinacia perfantur. Nam cum pare contendere anceps, cum superiore furiosum: cum inferiore, sordidum. Pericles iubet cum lychno deduci conuiciatorem.

Postquam vero hæc, de doctrina, consolatione, & exemplo imitationis, ex hoc octauo versu petendo admonui: nunc Grammaticè vocabula singula declarabo.

Recitantur enim in hoc octauo versu nostri Psalmi, Quatuor epitheta ferè idem significantia, sed tamen discerni aliquo modo possunt.

R A H V M, propriè, ex intimis visceribus & vero corde misericordem, miserijs aliorum condolentem, easq; lenientem aut tollentem, denotat: à verbo Raham, inter viscera conclusit, intimis visceribus, seu ex intimo corde aliquem complecti, amare, fouere, miserijs alicuius affici, ijsq; mederi, sicut pater commiseretur erga filium, sic commiseretur Dominus super timentes eum, quod Christus & apostoli *σπλαγχνίζουσι* & *σπλάγχνα* οὐκ ἐκείνων appellant. Luc. 7. Videns Christus viduam *ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτήν*, ex visceribus seu intimo corde eius misertus est. Luc. 15. Pater occurrens filio prodigo, agenti pœnitentiam, *ἐσπλαγχνίσθη*. Matth. 18. Dominus *σπλαγχνίσθη*, miseratus serui illius, omne debitum remisit ei.

Hinc phrasæ illæ, **V I S C E R A** miserationum, & simpliciter, viscera, pro vera cordis beneuolentia, & beneficentia, Apostolis vsitata sunt. 1. Iohan. 3. Qui clausit viscera sua .i. cor suum seu cordialem amorem & benignitatem. Coloss. 3. Induite vt electi Dei sancti & dilecti viscera miserationum .i. veram & cordialem misericordiam & beneficentiam erga proximum. Luc. 1. Per viscera misericordiæ Dei nostri .i. veram & ex intimo corde profectam.

Matth. 9. Cum vidisset Iesus turbas, *ἐσπλαγχνίσθη πρὸς αὐτὰς*, misericordia commotus est, quod essent sicut oves dispersæ sine pastore. Ose. 11. Commiseratione exarsit cor meum. Propriè autem cum **R A H E M** pugnat *ἡ πρῶτη καὶ ἀνδρῶν*, vt Semei, qui non condoleat Dauidi, sed lætatur eius calamitate, & amaris sarcasmis ei illudit.

H A N N V M, Gratis nos recipiens, diligens, iuuans, donans, clementer & benigne & gratis alijs ignoscens & benefaciens. Habet enim inclusam particulam **GRATIS**, qua Paulus sapissimè vtitur. Rom. 3. Iustificamur gratis Dei gratia. Ephes. 2. Gratia saluati estis .i. gratuita misericordia, seu gratuito fauore Dei, qua nos *ἐχαρίτωσε*, gratos sibi fecit, seu in gratiam recepit propter filium dilectum. Ebraicè **H I N N A M**, gratis, immerito, sine causa, significat. Itaque tota doctrina de iustificatione & particula Gratis & causis cur retinenda sit, hoc loco repetatur.

3. **Æ R E C H A P A I M**, longus irarum seu longanimis, tardus ad iram, non *ὀργή*, non statim admissio crimine subito irascitur, sed differt vindictam, tardus ad pœnā in peccatores exercendam, vt agenda pœnitentiæ spatium ipsis concedat, Rom. 2. Quoties admonet Pharaonē, vt populum dimittat? Sic nos leuioribus pœnis tanquam virga paterna ad pœnitentiam inuitat. Tandem verò cum insanabiles sumus, etsi lento gradu ad vindictam

dictam sui diuina procedit ira: tamen tarditatem supplicij grauitate tandem compenfat.

4. RAB HASBEN, multæ bonitatis, Φιλόστοργος. HESBEN enim proprie *στοργή* seu naturale illud & suaue incendium amoris in pectoribus parentum erga liberos significat, quo ex nobis natos, nullo nostræ utilitatis respectu, ardenti & saui amore & caritate complectimur & diligimus; eisque omnia, quæ a nobis proficisci possunt, officia & beneficia tribuimus. In Paulo, *στοργή* hæc paterna in Deo, nominatur caritas Dei, seu dilectio Dei, non qua nos Deum diligimus, sed qua Deus nos propter filium paterna benivolentia & fide complectitur. Quare ut pater Φιλόστοργος, non odio, vel malefaciendi nobis & perdendi animo, nos castigat, verum nostræ utilitatis & salutis causa, ut nos aberrantes in viam reducat, & fidem, inuocationem, patientiam, & ceteras virtutes in nobis augeat & confirmet, & tandem salutem æternam impertiat. Nahum 1. Bonus Dominus & confortans in tribulatione. Bonum mihi est, quod humiliasti me.

Deinde, DEVS multæ bonitatis, seu valde beneficus est, non solum bonis & pijs, sed etiam malis & ingratis, qui solem suum finit super bonos & malos oriri, & de pessimè meritis optimè meretur. quod testimonio hoc omnium maxime illustri declarauit, Quod cum essemus peccatores, inimici & hostes Dei, filium suum pro nobis in mortem dedit, ut nos a peccato & morte liberatos, vita & salute æterna donaret.

IX. & X. versus.

*Non in perpetuum irascetur, neq; in æternum cōminabitur.
Non secundum peccata nostra fecit nobis, neq; secundum
iniquitates nostras retribuit nobis.*

Repetit mutatis verbis proximi versus sententiam, velut definiens misericordiam κατ' ἀφάρτησιν ἑναντίς, per remotionem contrarij. Deus misericors est, qui non iracundè & morose nobiscum de singulis peccatis & offensionibus litigat, sed plurima dissimulat, regit & condonat. nec in perpetuum est tenax offensionum, non perpetuò obseruabit & memoria conseruabit nostra delicta, sed obliuione sempiterna delet nostra peccata, neque amplius eorum recordatur. (O' mirificam consolationem! sed hanc cœno & sordibus curarum huius vitæ immergi non curamus, nec aspicere tantam lucem consolationis possumus.) Quare & nos, θνητῶν ὄντων ἡμῶν, ἀθάνατον ὄν ἔχει μὴ προσήκει.

Non secundum peccata nostra fecit nobis) Psalm. 130. Si iniquitates obseruaueris, Domine, quis sustinebit?

Nam si nostra pari pensentur debita lance;

Et sit iudicij norma seuera tui:

Quis queat horrendum viuientis ferre flagellum

Vindictis, & plagas sustinuisse graues?

Premia qui ut meritis longè maiora rependis;

Supplicia admissis sit leuiora malis.

Neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis) Nos retribuimus Deo mala pro bonis: Ipse retribuit bona pro malis. ut supra in secundi versus enarratione hanc antithesin notauimus.

Mmm 4

Quoni-

Quoniam secundum altitudinem cœli à terra, CONFIRMATA est (seu praeualet supra peccatum) Misericordia Domini erga timentes eum.

Amplificatio ex loco similium. Magnitudinem misericordiae Dei, tribus illustribus similitudinibus demonstrat. 1. Quanto altius cœlum est terrâ: tanto sublimior & maior est misericordia Dei nostro peccato. Nam idè verbum *GABAR*, quo Psal. 117. utitur: Confirmata est, seu praeualet & regnat super nos misericordia eius (quod Paulus expressit, gratia exuberat supra peccatum) hic quoq; usurpat. & insignem ac dulcissimam consolationem mentibus, sub grauissima mole iræ Dei, & peccatorum suorum ferè succumbentibus & desperantibus suppeditat. Cum enim tantum praeualeat, & maior ac fortior sit misericordia Dei nostro peccato, quantum summi cœli altiores & maiores sunt terra; nemo magnitudine suorum peccatorum fractus desperet, aut cum Cain exclamet: Maior est iniquitas mea, quàm ut veniam consequar. Maior est enim filius Dei, & precium seu λύτρον pro peccatis à filio Dei persolutum, toto regno peccati. Rom. 5. Sicut per inobedientiam vnius hominis (*Adæ*) peccatores constituti sunt multi: Ità per obedientiam vnius (*Christi*) iusti constituentur multi. Lex autem subintravit, ut abundaret seu augeretur peccatum, ut ingens malitia et turpitudine peccati agnosceretur, ut terrores seniores incuteret. Vbi autem abundauit peccatum, ibi superabundauit, superexuperauit GRATIA, gratuita Dei misericordia & iustitiae Christi imputatio. ut quemadmodum regnavit peccatum in mortem, sic & gratia regnaret, praeualeret, confirmaretur, vinceret, per iustitiam, in vitam æternam, per IESUM Christum Dominum nostrum.

Nos fecit natos gratia, culpa reos.

Culpa reos fecit, Sed VINCAT GRATIA CULPAM

Ut tuus in nostro crimine crescat honos.

Vt autem collatio hæc altitudinis cœli supra terram, cum misericordia Dei exuberante supra peccatum, aliquanto propius à nobis perspiciatur: distantiae corporum cœlestium à terra considerentur. Docent enim Astronomi, & Ptolemæus lib. 5. *μεγάλη σφαῖρα*, demonstrat: Semidiametrum maximi circuli in orbe Lunæ, continere semidiametros terræ 59. seu milliaria Germanica 50740. In orbe solis, 1165. semidiametros terræ seu mill. Ger. decies centena millia. Posita igitur integra Diametro orbis solaris vices centenum millium miliariorum: ambitus colligetur (per proportionem 7. ad 22. iuxta Archimedem prop. 3. de dimensione circuli) 6285000. mill. Germanica. quæ Sol vnius diei & noctis spacio, incredibili cursus perniciosissimi celeritate peruolat. ita ut vnius horæ spacio 262000. milliaria percurrat.

XII.

Quantum distat ortus ab occidente.

In orbe Solis distantia ab occasu est 2000000. In suprema vero stellarum fixarum Sphæra, immensum & vix cogitatione compræhensile intervallum est. Afferunt enim Astronomi, semidiametrum maximi circuli in orbe stellarum fixarum, continere semidiametros terræ 20081. Erit itaque integra

integra diameter seu distantia ortus ab occasu extremo, 40162 semid. terræ, seu mill. germanica 34539320. tricies quater millena millia, quingenta triginta nouem millia, trecenta & viginti. Tanto interuallo à nobis reatum & culpam peccatorum nostrorum D E V S remouit.

XIII.

Quomodo pater miseretur filiorum, misertus est Dominus timentium se.

Tertia similitudo, à Storgis Physicis parentum erga liberos. Sunt autem *στοργαί* φυσικαί, naturales flammæ ardentis & suauissimi amoris in pectoribus parentum erga liberos flagrantis, quo ex se natos tanquam naturæ suæ partem diligunt, & hac naturali beneuolentia, nullo suæ vtilitatis respectu, omnia, quæ ad incolumitatem, salutem, & ornamenta liberorum pertinent, cupidissime suscipiunt, & nullis laboribus & curis in ijs obtinendis parant. Nazianzenus: *Φίλτρῳ ᾧ συνεδρῶν θεὸς τοκέας τε γόνεσ τε μνησάμεν* *τοκέων τὸ ὅ* *φάρμακον, ὥστε βαρείας καὶ φοβήτοισι πόνους ἐλαφρύνειν αἰνίας.*

Has *στοργαί* seu mirabile incendium amoris erga natos, indidit Deus parentum pectoribus, primum vt vincula & nexus sint societatis humanæ & coniunctionis hominum oeconomicæ & politicæ. Deinde, vt semina mutua dilectionis, beneficentiæ, tolerantia laborum, fortitudinis & cæsararum virtutum, ad educationem & defensionem generis humani necessariorum, essent. Tertio, vt imago sint veri & ardentis amoris καὶ φιλοστοργίας Dei patris æterni erga filium vnigenitum, & erga nos, adoptione in ius filiorum Dei propter Christum receptos, & assidue nobis de Dei erga nos beneuolentia & amore paterno concionarentur. Quod in quotidiana inuocatione, cum D E V M patrem nostrum compellamus, & nos in Deum patrem omnipotentem credere profiteamur, pie & attentè considerandum est. ac de paternæ *στοργῇ* præsens Psalmi dictum: Sicut pater miseretur filiorum. & Matth. 3. Hic est filius meus dilectus, quo delector: & similia. De materna verò *στοργῇ*, Esaiæ Dialogismus cap. 49. dulcissime testatur, quem his verbis expressit Stigelius.

Ore Sion querulo sic est formosa locuta,

Cum querente D E V M mæsta pauore foret.

Ergo reliquisti me tot mala dura, ferentem,

Et memor adstricta non es, vt ante, D E V S?

Huic Deus an poterit curam deponere prolis

Vlla parens, partum non miserata suum?

Si tam dura tamen, tamq̃ implacabilis vlla est;

Vt possit sobolis non meminisse sua:

Ipsæ tui nunquam mutabo oblitus amorem;

Tu dilecta mihi filia semper eris.

Ecce manu descripta mea tua mœnia seruo;

Vt firma incolumem te statione tegant.

Ecce oculis te gesto meus, mihi cuncta videndi

Proxima ceu nunc es, proxima semper eris.

Vt autem parentum *στοργαί* præcipue sese exerunt & conspiciuntur in calamitatibus, morbis, & sceleribus natorum: Ita D E V S erga nos amor & misericordia,

cordia, nusquam illustrius, quam in nostra turpitudine & peccatorum nostrorum foeditate, & hanc secutis tristissimis miserijs, æternâq; perditione à nobis auertenda cernitur, cum sic diligit mundum immundum (nos homines, horribiliter peccato pollutos & contaminatos, ideoq; æternum perituros) ut filium suum vnigenitum pro nobis hominem & victimam fieri velit, ut nobis à peccato & morte liberatis iustitiam & vitam restituat.

Maior in erratis bonitatis gloria nostris,
 Illeg, præ cunctis fulget amandus amor.
 Qui potuit cælo Dominum deducere ab alto,
 Ing, crucem summi tollere membra Dei.
 Vt malè contractas patrio de semine sordes
 Ablueret lateris sanguis & unda tui:
 Sic amor & pietas tua, rex mitissime, tantis
 Dat mala materiam suppeditare bonis.
 O' amor, ô pietas, nostris benè provida rebus!
 O' bonitas serui facta ministra tui!
 O' amor, ô pietas nostris malè cognita seclis!
 O' bonitas nostris nunc propè victa malis!
 Da precor huic tanto, qui semper feruet, amor,
 Ardorem in nostris cordibus esse parem.

XIIII. XV. XVI.

Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum, recordatus est
quia pulvis sumus:

Homo sicut fœnum dies eius, tanquam flos agri sic efflo-
rebit, &c.

Subiectum in quo D E V S bonitatem & misericordiam suam immensam exercet, est H O M O miserrimus, fragilis, caducus, morti & omnibus ærumnis propter peccatum obnoxius, vt scænum manẽ virens vesperi arefcit, flores arborum & herbarum, paucis diebus vigentes, & colore ac odore delectantes intuentem, subito diffluunt & evanesunt. *ἡμεῖς, σκῆλη, φάσμα, δράκον, πνοή, πῆλρον, ἀνῆλς, ὄνειρος, οἶδμα, ῥόθ, νῆθ, ἰχθυον, αὔρα, νέφς.* Pulvis, umbra, spectrum, ros, flatus, pluma, vapor, somnium, fluctus maris, fluxus fluminis, vestigium navis, aura, pulvis.

Sap. 5. Quid nobis profuit superbia aut diuitiarum iactantia? Transie-
runt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuncius præcurrens, tanquam
navis cuius prætereuntis vestigium nullum in aquis apparet, tanquam avis
transuolans in aëre nullum relinquens itineris sui signum, tanquam sagitta
emissa ad scopum diuisus aër statim coit, tanquam lanugo quæ a vento tol-
litur, tanquam spuma, quæ dispergitur, tanquam fumus a vento diffusus,
tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis, deniq; omnis caro fœ-
num & omnis gloria eius quasi flos agri, fœnum inciditur, & flos decedit,
Verbum autem Domini manet in æternum, Esa. 40.

Harum illustrium collationum, ingentem vitæ, potentia, gloriæ, ac omnium rerum humanarum imbecillitatem, fragilitatem, & fugacitatem depingentiũ exempla, in vniuersa mundi historia proponuntur. Ladislaus, Alberti Cæsaris filius, Austriæ, Vngariæ & Boëmiae rex, cum legati ad spoliã Caroli

Caroli Galliae regis filiam adducendam ablegari essent, anno ætatis 18. intra 36. horarum spaciū subito instar flosculi à vento adflati decidit ac ex-tinguitur, 1457.

Philippus archidux Austriae & Burgundiae, rex Hispaniae, iuuenis 28. annorum, in summo potentiae ac gloriae flore, cum firmissimo & saluberri-
mo corporis habitu esset, sexto post aditum Hispaniae regnum mense, subi-
to euanescebat, 1506. Alexander magnus, rex antecellens omnibus ingenio,
& rerum gestarum gloria, parto orbis terrarum imperio, cum adhuc iuuenis
& in ipso flore rerum esset, febri, helluationibus immodicis accersita, vel
veneno absumitur. Iulius Cæsar, in senatu iura dans orbi terrarum: ab ijs,
quibus ipse vitam donauerat, interfectus est. Hæc exempla, fugacitatem &
fragilitatem omnis gloriae carnis, vt Esaias nominat, ostendunt.

XVII.

*Misericordia autem Domini ab aeterno vsq; in aeternum,
super timentes eum.*

Antithesis vitæ hominum fragilissimæ & breuissimæ, quæ, vt Poëta ait,
par leuib; ventis, volucrisq; simillima somno est: & misericordiae DEI æter-
nae, & ad omnium piorum posteritatem manantis. Etsi enim tanta est homi-
nis miseria, & vitæ hominum etiam opulentissimorum & potentissimorum
fugacitas & breuitas, vt verè, iuxta Pindarum, ἐφάμενος καὶ σκιά εἶναι, diur-
ni & vmbrae somnium sint: similes bestiis, quas apud Hypanim fl. nasci,
& vnum solummodo diem viuere Aristoteles scribit (ex quibus hora octa-
ua quæ mortua est, prouecta ætate mortua est: quæ verò occidente sole, de-
crepita: eo magis, si etiam solstitiali die, inquit Cicero) tamen hæc ca-
lida & fragilis iam post peccatum & misera hominum natura, vt ad ima-
ginem Dei & immortalitatem initio condita est: sic lapsa in peccatum &
mortem, immensa bonitate & misericordia Dei, per & propter filium me-
diatorem, rursus ad perpetuam & æternam vitam recipitur ac instauratur;
vt penitus sublato ex hominis natura peccato & morte in resurrectione,
vitam cum Deo beatam ac sempiternam agat: & in omni æternitate, cum
omnibus angelis & sanctis hominibus, immensam Dei bonitatem ac miseri-
cordiam & diuitias gloriae gratiæ illius in redemptione generis humani
effusas, & omnia opera creationis miranda, & gubernationis ecclesiæ sa-
pientissima & iustissima, celebret.

Cum enim DEVS æternus sit, & ab æterno vsq; in æternum miseri-
cor sit erga timentes eum: necesse est hos quoq; seu ecclesiam timentem
Deum æternam esse, & vitam cum Deo perpetua & æterna frui. Deinde, vt
Deus essentia æterna & immutabilis est, in qua non est παραλλαγή, ἡ τροπὴς
ἀμεταβλητα, vt Iacobus loquitur, & Malach. 3. inquit, Ego Dominus &
non mutor: Sic misericordia & bonitas illius constans & perpetua ac im-
mutata est: cum econtra hominum amores & beneficia leui momento ver-
tuntur, & in acerbissima odia & supplicia crudelissima degenerent. vt Ti-
berius Seianum, qui omnia apud eum poterat, vnco discerpi & in Ti-
berium abijci iubet. Seuerus, Plautianum: Arcadius, Eutropium. Deni-
que, nihil in vita communi vsitatius est inconstantia voluntatum & amoris
mutatione. ac vt ex saccharo dulcissimo fit mel amarissimum: ita quò a-
mor fuit ardentior: in odium cò acerbius conuertitur. At Dei miseri-
cordia

cordia & amor, æternus & immutabilis est *erga timentes eum*, qui agnita ira Dei aduersus peccatum, se emendarunt, & fide in Dei misericordia propter Christum mediatorem promissa adquiescunt.

ET IUSTITIA *Eius*, qua scilicet nos gratuita bonitate & misericordia propter Christum iustos reputat, in gratiam recipit, & omnibus vitæ præsentis ac æternæ promissionibus & bonis cumulat (Rom. 3. 1. Nunc sine lege iustitia Dei manifestata est: Iustitia inquam Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt.) *in FILIOS FILIORVM propagatur*, qui non ex sanguinibus solum seu carnali gubernatione, aut voluntate viri, sed ex Deo per fidem nati sunt.

XVIII.

Qui custodiunt Testamentum eius, & memores sunt mandatorum eius, ad faciendum ea.

TESTAMENTVM DEI, propriè idem est, quod Euangelium, seu promissio gratiæ & misericordiæ Dei, seu gratuita remissionis peccatorum, Spiritus sancti, iustitiæ ac vitæ æternæ, propter Christum semen Abraham benedictum, pro nobis victimam futurum, gratis donandæ, vt in verbis coenæ Domini dicitur: Hic est Sanguis noui testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Hic veteris etiã testamenti definitio, & discrimen inter vetus & nouum Testamentum ex 24. Exodi repetatur.

Custodiunt autem testamentum Dei, qui doctrinam Euangelij de Christo audiunt, discunt, fide amplectuntur, retinent, & propagant, vt Christus inquit: Beati, qui audiunt verbum DEI, & custodiunt illud fide & bona conscientia. sicut Paulus præcipit 1. Timoth. 1. Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam. Nam *FIDES* iustificans, non ociosa & inanis persuasio est de misericordia DEI, sed mutat & regenerat hominem, & altera manu apprehendit promissionem gratiæ Dei, Spiritus sancti, & vitæ æternæ propter Christum donatam, ac eatenus iustificat coram Deo: altera manu, per dilectionem Dei ac proximi efficacem, memor est mandatorum Dei, vt faciat ea. Nam vt corpus sensu & motu destitutum, non amplius viuere, sic indulgentem peccatis contra conscientiam, nec obedientiam mandatis Dei, non esse iustum coram Deo, nec custodem testamenti Dei, firmissimè ratiocinamur. In hoc enim agnoscuntur remissa esse peccata, si reliquuntur futura. Nam eadem gratia, quæ remittit, facit ne committas. Necesse est igitur per misericordiam fide iustificatos coram Deo, obedire mandatis Dei, non quod hac sua obedientia remissionem peccatorum & salutem æternam promereantur, quam gratuita Dei misericordia gratis propter Christum donatam antea fide acceperunt: Verum quia ordo sapientiæ & iustitiæ diuinæ immutabilis est, vt creatura suo creatori obtemperet, & iustus iusta agat, & ruere contra conscientiam desinat. Cum autem nemo possit diligere DEVM, & interiorem cordis obedientiam erga legem Dei inchoare, nisi prælucente fide, quæ paternum erga nos amorem & misericordiam Dei immensam, missio filio suo Domino nostro IESV Christo declaratam, agnoscat, & Deum amantem redamet: semper in dictis de operibus seu noua obedientia, simul complectenda est fides, statuens nos gratuita misericordia

cordia à Deo in gratiam receptos, & iustitia ac salute aeterna donatos, vicissim Deo hanc gratitudinem debere, vt gratis nos amantem redamemus, eiq; vicissim grata dicere & facere studeamus. vt Ambrosius, dictum, Non auditores sed **FACTORES LEGIS IUSTIFICANTUR**, enarrans inquit, Qui sunt factores legis? Qui credunt in Christum: nam finis legis est Christus. primum fide accipientes gratuita **DEI** misericordia propter Christum donatam remissionem peccatorum & iustitiam Christi, perinde ac si ipsi perfecte legi satisfecissemus. Per Christum enim imputatur nobis iustitia seu impletio legis ab ipso praestita, & tegitur peccatum in nobis reliquum ne imputetur, ac quod deest nostrae obedientiae erga legem, ex plenitudine Christi suppletur. Deinde, Fide accepto spiritu sancto nouam obedientiam erga legem Dei inchoant, & viciosas inclinationes & affectus mortificant, ne regnent in mortali corpore nostro. 3. Quia fide propter Christum placet Deo nostra inchoata obedientia, etiamsi nondum integre satisfacit legi Dei. Hac ratione per fidem firmamus seu facimus legem Dei, & memores sumus mandatorum Dei ad faciendum ea, & permanemus in omnibus quae scripta sunt in lege, & à maledictione legis liberamur, Galat. 3.

X I X.

DOMINVS in caelo parauit sedem suam, & regnum eius in omnibus dominabitur.

Ex causae efficientis, seu Christi Domini, fontis ac regis misericordiae, & regni gratiae illius maiestate & amplitudine, magnitudinem beneficiorum illius, & officia subiectionis obedientiae & gratitudinis ipsi vicissim debita ostendit.

Primum autem, personae **REGIS** excellentiam, sublimitatem, amplitudinem, & gradum dignitatis summum, quo omnibus ceteris regibus praestat: priore hemistichio describit, dum non Cyrum, Alexandrum, Augustum, aliumue imbecillum & mortalem hominem, sed Iehoua verè & natura Deum opt. max. aeternum & omnipotentem esse: & non in his terris solum, regni sui sedem habiturum, sed in altissimo caelo, seu summa sublimitate, potentia & maiestate, regnaturum esse ostendit. Vt. n. in terris, throni regum, altiore & eminentiore loco, supra ceteros mortales, erigi solent: Ita summi regis, Domini Dei & seruatoris nostri sedem, in caelo coelorum, seu altissimo caelo, quo nullus est locus in hoc mundo sublimior: imò supra coelos (excelsiorem caelo) scriptura collocat; vt maximam & summam altitudinem, potentiam, maiestatem & gloriam, comparatione caeli, declaret. sicuti exempla similium locutionum, gloria eius supra coelos: exaltate supra coelos Deus: Misericordia eius supra coelos, & cetera testantur, & in precatione Dominica iubemur patrem nostrum, qui est in coelis, alloqui: cum non minus in terra, quàm in coelis, **DEVS** ubiq; essentia & maiestate sua praesens adsit.

Quod enim **DEI** thronus, sedes, domus, habitatio, locus **DEI**, **COELVM**, in scripturis nominatur: manifestum est, appellationibus rerum corporalium, & nobis notarum, res spirituales ac coelestes & à conspectu nostro remotas, his velut typis ac imaginibus adumbrari. Nec humano more aut Physica ratione, de domibus, thronis, sedibus, caelo, quod videmus, aut loco, secundum longum, latum, profundum commensurante &

Chytr

rante & continente locatum, sed metaphoricè intelligendas esse. **D E V S** enim, cum sit incorporeus & incircumscriptus, propriè non est in loco, sed totus in toto, & omnibus ac singulis totus est; intra omnia, non inclusus; extra omnia, non exclusus; subter omnia, non prostratus; super omnia, non elatus. Dicitur autem Locus & habitatio seu domus **D E I**, ubicunq; se clarius, illustrius, ac gloriosius, quàm alibi, manifestat, & gratiam ac efficaciam suam plenius ac euidentius exerit, ut in luce illa beata & celestis se facie ad faciem sanctis ostendit, & in ecclesia ac singulis pijs habitat & efficax est. Psal. 76. Habitatio eius in Sion. Ioh. 14. In domo patris mei, mansionem apud eum faciemus. Ideo Apostolos etiam & alios sanctos (seu coelestes & diuinos homines) in Psalmis, coelos appellari, Augustinus & alij interpretes ostendunt. Psal. 18. Coeli enarrant gloriam **D E I**. Psal. 89. Confitebuntur coeli (Apostoli & eorum discipuli) mirabilia tua. Hæc ideo recito, ne Christus in coelo ad dextram patris sedens ac regnans, ratione coeli, seu lucis & gloriæ celestis, in quam ex hoc mundo transit, tali Physica certi loci circumscriptione comprehendi existimeretur, ut simul alibi esse nulla ratione queat. sicut in quotidiana precatione, **D E V S** patrem nostrum, qui est in coelis, compellantes; non coelo, tanquam certo loco, eum includimus, sed ubique ecclesiæ & sanctis suis præsentem adesse, nos respicere, & exaudire, profitemur. Hæc de priore Hemistichio: Dominus in coelo parauit sedem suam, monere initio voluimus. Nunc definitionem regni Christi adiungemus.

R E G N U M Domini & Seruatoris nostri **I E S V** Christi, ad dextram æterni Patris in coelo sedem suam habentis, est gubernatio, qua non modo mundum vniuersum à se conditum, Angelos & homines, seruat & custodit, & sceleratos punit: verum etiam per ministerium Euangelij, annunciantis gratiam & misericordiam in Christo promissam, colligit sibi ex genere humano ecclesiam, seu cœtum hominum, qui ipsum Dominum agnoscunt, & in eum credunt, quibus remittit peccata, liberat eos ab æterna morte, sanctificat dato Spiritu sancto, mirabiliter regit ac defendit in hac vita oppressos cruce, & tandem ex morte ad vitam & gloriam æternam resuscitat.

Règnum mundanum seu politicum, ut regnum Daniæ aut Galliæ, est gubernatio, in qua vnus homo, seu rex mortalis, imperium summum, certis legibus circumscriptum tenens, legibus illis, iudicijs & armis, multitudinem hominum ipsi subiectam regit, & honestam subditorum disciplinam, & singulorum corpora, fortunas, & pacem publicam defendit ac sceleratos punit.

Differunt autem regnum Christi & Politica seu mundana regna, multipliciter. Primum, quod ad personas regum attinet. Nam rex Christus est verè & natura Deus. Reges mundani sunt mortales & imbecilli homines. 2. Sede regni. Reges politici in angusto aliquo huius terræ angulo, instar vestigij pedis aut puncti se respectu cœli habentis, dominium & maiestatem suam exercent. Sed Christus Dominus in coelo altissimo, & supra coelos, in summa maiestate & potentia, cuius sublimitas nulla cogitatione humana potest comprehendi, sedem suam firmavit.

3. Amplitudine imperij. Rex Daniæ regit Iutiam & insulas vicinas in Balthico mari & Scaniæ partem: Rex Franciæ Galliam solam: Turcicus, dimidiam imperij Romani partem, quam Antonius Triumuir aliquan-

tisper

risper tenuit. Nabugodonosoris & Cyri regna terminis Asiae inclusa fuerunt. Reges Homerici vnum & alterum oppidum vel comitatum rexerunt. Sed Domini Christi regnum, omnibus dominatur, non solum toto orbe terrarum propagatum, & misericordiam ac gratiam aeternam omnibus timentibus cum impertiens: verum etiam angelis in caelo, & Diabolis in inferno, ac impijs omnibus in hoc mundo, potenti manu sua imperans, Psal. 2. 72.

4. Forma gubernationis. Regnum Christi est Spirituale, hoc est, non praesidijs & armis corporalibus, non gladijs & hastis, sed solo verbo Dei per Spiritum sanctum constituitur & gubernatur. Reges politici legibus humanis, & armis ac exercitibus, subditos regunt & defendunt. 5. Obiectis. Reges mundani regunt externos hominum mores, & corpora ac fortunas defendunt, & externa scelera puniunt. Christi regnum, seu ministerium Euangelij versatur circa animas, & arguit ac sanat corda. 6. Modo Obedientiae. Reges politici externorum membrorum obedientiam solummodo flagitant, & externa scelera puniunt. Rex Christus interiorem cordis iustitiam requirit. 7. Modo poenarum. Reges mundani gladio: Ministri solo verbo delicta puniunt. 8. Beneficijs, quae subditis suis impertiunt, quae in regno Christi sunt spiritualia & aeterna, videlicet, remissio peccatorum, liberatio a morte, iustitia, & vita aeterna. Reges politici non haec aeterna, sed corporalia & momentanea bona, pacem politicam, defensionem, opes, & similia, suis subditis & amicis impertiunt. 9. Legibus. Reges mundani habent potestatem condendi novas leges positivas, velut adminicula executionis Decalogi, quas violare est peccatum mortale. In regno Christi non licet pastoribus condere novas leges, novos articulos fidei, aut cultus novos ad salutem necessarios. 10. Ministris & praefectis, per quos gubernatio regnorum administratur. Christus, quae stulta sunt mundi huius, eligit, piscatores, Apostolos, & alios miseros ac mirabiles homines, *Arme / Elende / gebrechliche Petersknechte* / qui filijs huius seculi ludibrio & odio sunt. Reges mundani eligunt consiliarios praestantes ingenijs, sapientia politica, usu rerum, eloquentia. 11. Praesidijs, quae reges mundani habent visibilia, duces, milites, tributa, & opes necessarias ad gubernationem togatam, & gerenda bella. Quibus omnibus ecclesia fere destituta, per Michaëlem suum filium DEI & inuisibiles exercitus, excubias S. Angelorum, custoditur & defenditur. Psalm. 20, Hi in curribus & equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus. 12. Gloria regni mundani est sapientia & iusta gubernatio in pace, & fortitudo ac felicitas in bello. Regni Christi seu ecclesiae gloria est sapientia verae agnitionis & inuocationis DEI, & constantia in cruce, fortitudo in perferendis supplicijs, inter persecutiones miranda conseruatio & defensio.

Postremo, differunt stabilitate. Omnia mundi regna, quantumvis potentia & ampla, intereunt & extinguuntur, & redit in nihilum quod fuit ante nihil. Christus vero Dominus regnat in monte Zion, ex hoc nunc & usque in seculum. Cumque rex aeternus sit, ecclesiam quoque ipsi subditam non interire, sed in omni aeternitate cum ipso vivere, necesse est.

Haec de discrimine regni Christi & mundani doctrina saepe consideranda est, non solum ut Iudaeos, somniantes regnum Messiae terrenum, in quo

Iudæi oppressis gentibus soli dominantur, refutemus, verum multo magis, ut nos erudiamus & consolemur, ne amissis regnorum mundi præfidijs, in desperationem, quasi prorsus à Deo abiecti simus, præcipientes ruamus: verum nihilominus, nos Deo curæ esse, & ab eo respici, & exaudiri inuocantes, ac etiam si occiderit nos, tamen vitam & salutem æternam certo nobis propositam esse, speremus.

X X. Versus.

Benedicite Domino Angeli eius, potentes virtute; facientes verbum eius, audientes vocem verbi eius.

Cum regnum Christi omnibus creaturis, Angelis, & hominibus, dominari proximo versu dictum sit: in epilogo, seu peroratione Psalmi, ANGELI etiam, ad communem nobiscum & tota ecclesia, immensæ bonitatis ac misericordiæ diuinæ celebrationem, inuitat. Ut enim homines, constantes corpore & anima rationali, creati sunt ad imaginem Dei, ut Deum agnoscant & celebrent: ita ANGELI, essentiæ spirituales ac incorporeæ, conditi sunt à Deo ad imaginem ipsius. h. Intelligentes, veraces, iusti & immortales, ut in cœlis perpetuò Hymnū gloriæ, sanctus, sanctus, sanctus Deo canant, & in terris sint ministri ecclesiæ & custodes piorum, Ebr. 1. Psal. 34. 104. Quare ut ecclesia in his terris militans, nullum gratius Deo sacrificium, quam hostiam laudis & gratiarum actionis, offerre potest: sic præcipuum triumphantis in cœlo ecclesiæ Angelicæ, & sanctorum spirituum munus erit, continua, ardens, indefessa & perpetua Dei bonitatis ac misericordiæ, & beneficiorum ac operum Dei mirandorum celebratio & laudes sonoræ, ut Psalm. 84. dicitur: Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. ubi Augustinus addit: Totum negocium beatorum in cœlis erit sine defectu HALLELVIA. ac formulæ laudum diuinarum seu benedictionis vel glorificationis DEI Angelicæ, ab Esaia cap. 6. & Luc. 2. & à Iohanne Apoc. 4. 15. 19. 5. 17. & alibi annotatæ sunt.

Iuniores hic summam doctrinæ de Angelis reperant. Quorum definitionem iam recitavi. Species seu ordines Angelorum in scholis nouem, ex dictis Esa. 6. Ephes. 1. Coloss. 1. 1. Pet. 3. distinxerunt. Seraphim in historia Elisæi: Cherubin facie florida, vigente, plena, ut vulgò pinguntur: Thronos, dominationes, principatus, potestates, virtutes, Archangelos & Angelos. Esse autem multitudinem innumerabilem ex Dan. 7. constat; Milles mille assistebant ei, & decies millena millia ministrabant illi. Nomina Angelorum in scripturis quinque extant, Michaël, Apoc. 12. Gabriel, Luc. 1. Raphaël, Tob. 1. 12. Vriel, 4. Eld. 4. Hierameël. OFFICIA Angelorum sunt, Deum conditorem pia voce & alijs officijs celebrare, Esa. 6. Deinde, sunt nuncij diuinarum reuelationum, & mandatorum DEI executores fidei: Gabriel mittitur ad Mariam virginem annunciatum conceptionem Christi. Idem annunciat pastoribus gaudium magnum de nato Christo saluatore. Tertiò, seruiunt ecclesiæ in his terris militanti, & singulorum piorum fidei custodes sunt aduersus Diaboli & aliorum hostium insidias. Ebraeorum 1. sunt ministri Spiritus, missi ad ministrandum ijs, qui sunt futuri hæredes salutis. Psalmorum 34. Angelus Domini castra metatur in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Ac exempla custodiæ Angelorum in sacris literis, Genes. 32. 19. 21. 18. 48. 4. Reg. 6. 19. in historia Tobie,

Tobia, Danielis, plurima extant. *Potentes virtute*, non solum excellenti pietate & omnibus ceteris virtutibus orati: verum etiam potentia, viribus & robore inuictis praediti, ut in exercitu Assyriorum Angelus una nocte 185000. hominum interfecit, 4. Reg. 19. *Facientes verbum eius* & coram audientes vocem verbi eius. Assidue enim assistunt Deo Angeli, ut satellites & ministri, qui mandata eius excipiant, & ad alios perferant ac exequantur, ut in proxime sequenti Psalmo dicitur, apparent accinctae auræ, flammæque ministræ, ut iussa excipiant.

X X I.

Benedicite Domino omnes exercitus eius.

Quos Euangelista Lucas cap. 2. describit: Et statim fuit cum Angelo (Gabriele) multitudo seu exercitus militiae coelestis cantantium & celebrantium Dominum, & dicentium: Gloria in excelsis Deo. Significat enim Zeba, & in plurali Zebaoth (Esa. 6. Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Zebaoth) exercitus, seu multitudinem suo quamq; loco & tempore ac ordine distributam, ut Deo in militia togata (ecclesiastica) vel bellica seruiat, & ministerium ac officium suum diligenter obeat. Vocantur itaq; Zebaoth, seu exercitus DOMINI DEI, primum Angelicæ ceteræ seu copiae innumerabiles Deo militantes, & sonandis laudibus Dei, & excubijs ecclesiæ & piorum, Deo seruientes. Deinde, Sol, Luna, & omnes stellæ in cœlo, exercitus seu virtutes seu militia cœli nominantur, Gen. 2. Igitur perfecti sunt cœli & omnis exercitus eorum (omnes stellæ) Jerem. 19. Sacrificarunt omni militiae cœli (Soli, Lunæ, Veneri) quam reginam cœli cap. 44. vocari consentaneum est. Tertiò, Ministerium ecclesiasticum, seu cultus, in cœlo templi, suo ordine, tempore & loco ritè seruandi, Zeba seu militia appellantur, Num. 4. Omnis qui ingreditur ad militiam, ut faciat ministerium in tabernaculo. Dan. 8. Et sanctuarium & militia erunt conculcatio. Quartò, omnes pii, militantes bonam militiam, retinentes fidem & bonam conscientiam, aduersus Diabolum, carnem, mundum, assidue in acie stantes, & verbo DEI, fide ac precatione dimicantes, Ephes. 6.

X X I I.

Benedicite Domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius, seu, in omnibus locis regni eius.

Angeli & homines sunt viui testes ac præcones bonitatis, sapientiæ & misericordiæ diuinæ, qui pia cogitatione & voce & omnium virium obedientia Deum celebrant. Ceteræ creaturæ rationis & orationis expertes, sunt taciti præcones & laudatores Dei opificis, cuius omnipotentiam, bonitatem & sapientiā, non tantum superioria mundi corpora coelestia: verum etiam minimæ corporis nostri particulæ, & vilissimæ plantulæ demonstrant. Et levis est cespes, qui probat esse Deum, Præsentemq; refert quælibet herba Deum.

Benedicit enim Domino, seu bona de Deo, de Dei bonitate, sapientia, amore erga nos & omnipotentia dicit, & præconium Dei clarissimum in omnium oculos & aures penetrans est vniuersum hoc mundi seu totius

rerum naturæ theatrum, ipsa mundi figura, cœlum, Sol fons lucis & caloris vitalis, Luna certis vicibus lumen à sole recipiens, rati & immutabiles Solis, Lunæ & omnium astrorum cursus, qui temporum vices, & dierum, mensium & annorum spacia definiunt: & motuum leges certæ ab hominibus Deo ducente peruestigatæ: Sirij, Arcturi, Orionis, & cæterarum stellarum pulchritudo, numerus & magnitudo: vices dierum ac noctium: vices temporum anni, veris, æstatis, autumnii, hyemis, ad vtilitatem rerum nascentium accommodatæ: Terræ situs & fecunditas: omnes res terra nascentes, gemmæ, metalla, plantæ, arbores, herbæ, flores, fructus, mare, fontium & fluminum perennitas, pisces, animantia, & in his tanta varietas, & specierum proprietas, propagatio & generationis modus. deniq; homo ipse; & in corpore humano singularum partium constructio, situs, coagmentatio, substantia, figuræ, qualitates, vires & actiones certis vñibus destinatæ, vt in mente hominis naturales notitiæ de Deo, & discrimine honestorum & turpium, & iudicium conscientiæ in recte & secus factis. Hæc omnia cum aspiciamus, fateri cogimur, vt in primo *δοκουμενων δυνάμεων* Xenophon ait, ταῦτα σοφὴ τινὲς δημιουργὸς καὶ φιλοζῶν τέχνημα εἶναι, hæc sapientis architecti & amantis hominum, opera esse. Et notitia de Deo & de virtute menti insita, non modò esse Deum, sed etiam qualis sit, & quales nos esse velit, demonstrat.

Ita Galenus se, partium humani corporis substantiam, situs, figuras, functiones & vsus explicantem, componere ait hymnum, DEI bonitatem, sapientiam & omnipotentiam laudibus sonoris celebrantem. Et statim adiungit, se hunc præcipuum & verum DEICULTVM existimare; non si taurorum Hecatombas plurimas offerat, vel totius Arabiæ thura & casias incendat: ἀλλ' εἰ γνώῃ μὲν αὐτὸς πρῶτον, ἔπειτα δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις ἐξηγήσεται, οἷον μὲν ἐστὶ πλὴν σοφίας, οἷον ἢ πλὴν δυνάμεως, ὅποιον ἢ πλὴν χρηστότητος. τὸ μὲν γὰρ ἐθέλειν κόσμον ἅπαντα, τὸν ἐνδεχόμενον κόσμον ἔχειν, καὶ μηδὲν φθονεῖν τῷ ἀγαθῷ, τῆς τελειωτάτης χρηστότητος ἐγὼ δειγμάτων τίθεμαι, καὶ ταύτη μὲν ὡς ἀγαθὸς ἡμῖν ὑμνεῖται. Τὸ ἢ, ὡς αὐτὴ μάλιστα κοσμηθεῖν, πᾶσι ἐξέρχεται, ἀκρὰς σοφίας. Τὸ ἢ καὶ δεῖσθαι πᾶσι ὅσα προσέλετο, δυνάμει ἀπείρητος. Sic Cicero in 2. de Natura Deorum, omnes res in tota natura esse testimonia de Deo & prouidentia, ostendit. Paulus Rom. 1. Inuisibilia Dei, æterna ipsius potentia & diuinitas, à rebus in mundo creatis, ex ordine operum animaduersa conspiciuntur. Acto. 17. Si manibus contrectari Deus posset, non procul eum quærere opus esset. In ipso enim viuimus, mouemur & sumus. Paraphrasis autem huius versus longior est Psalmus 148. Laudate Dominum de cœlis. Alij opera Domini, non de creaturis mentis & rationis expertibus intelligunt, sed de hominibus, singulari opere gratiæ & misericordiæ diuinæ regeneratis ac recreatis, vt Deum celebrent. Ephes. 2. Dei donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur. Ipsius enim opus sumus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit DEVS, vt in eis ambulemus.

Benedic anima mea DOMINO.

Conclusio Psalmi, repetens propositionem ipsdem verbis, quibus initio præmissa erat. Vt autem Dauid, animam suam: ita nos singuli, mentes, voluntates, corda & linguas nostras, ad benedicendum Domino, & misc-

& misericordiam ac beneficia ipsius spiritualia & corporalia, praesentia ac aeterna, propter Christum mediatorem exhibita, agnoscenda & celebranda exultemus. Et stuporem ac frigus pectorum nostrorum, haec tanta misericordiae DEI & seruatoris nostri Iesu Christi, pro nobis passi & resuscitati beneficia, frigide & oscitanter considerantium; nec ardenti corde, & ore, ac totius vitae obedientia se memores illorum esse ostendentium, ingritudinem gementes agnoscamus, & assidue hanc Philippi precationem, tum in usu coenae Domini, tum alibi repetamus.

O' IESU CHRISTE, fili Dei viui, pro nobis crucifixe & resuscitate, accende mentes nostras, ut ad DEVM conuertamur, nec contemnamus iram eius, & tuam mortem, sed verè ad agnitionem tuorum beneficiorum, & mirandi consilij de tua morte flectamur. Longè superat hoc consilium vniuersam sapientiam omnium creaturarum. Ideò tu nos fili Dei IESU CHRISTE erudias, qui dixisti: Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui Filius voluerit reuelare.

F I N I S.

Nnn 4

Dauidis